CONSTITVTIONES, ET DECRETA,

ÆDITA IN SYNODO AVXIMANA

XVI. Kal. Iun. Anno à Partu Virginis MDCLXI.

Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino

A N T O N I O

Tit. S. Augustini S. R. E. Presb.

C A R D. B I C H I O,

E P I S C. A V X I M A N O.

Sedente ALEXANDRO VII. Pont. Opt. Max.



MACERATÆ, Ex Typographia Hæredum Augustini Grisei, & Iosephi Piccini Impressorum Episcopalium . MDCLXI.

DD. SVPERIORVM PERMISSV.

Coll. Rom. Soc. Iesu

ANTONIVS

MISERATIONE DIVINA

Tit. S. Augustini S. R. E. Presb.

CARD. BICHIVS,

EPISCOPVS AVXIMANVS.

Clero, & vniuersis Ciuitatis, ac Diœcesis nostræ Christi fidelibus

Pax vera, & salus in Domino sempiterna.

SPIRITVS Domini, cuius sapientia conditi sumus, ac prouidentia gubernamur, quanta in Nos, & Ecclesiam nostram effuderit hoc tempore charismatum dona, vnusquisq; vestrum cęteris nationibus veracissimè annunciare potest. Quis enim Pastoralem sollicitudinem nostram euocauit ad Diœcesanā Synodum congregandam, aut quis tanti momenti, ac sanctitatis opus vsquè ad finem fortiter, suauiterq. disposuit, nisi qui, omnia continens, omnia etiam operatur vnus, atquè idem Spiritus, diuidens singulis prout vult? Verùm si maximas Deo Patri pro tot beneficijs agere Nos oportet, atquè habere gratias, grandis etiam, post impensum ab humilitate nostra Diuinæ lar-

gitati obsequium, Nobis succurrit ex vestra pietate causa in Domino gaudendi: siquidem voces illæ, festiuis acclamationibus ad sancita decreta prolatæ, certissima Nobis fidei vestræ pignora fuerunt, quòd & Synodales Constitutiones libentissimè susceperitis, &, qua decet reuerentia, eisdem obtemperare parati sitis. Agite igitur dilectissimi, qui gaudium estis, & corona nostra, agite; sicquè in hac recenti sacrarum legum palæstra currite, vt quę ad Dei cultum, & vestram vtilitatem pertinent, fœliciter, ac maximo vestro bono comprehendatis. Æmulamini omnes charismata meliora, opere scilicet complentes, quod hilari plausu, ac lętis animis Domino spopondistis. Quantum in Nobis fuit, rectam vobis, immò potiùs regiam viam sternere curauimus, qua, ad coronam iustitię capessendam, prospero cursu peruenire possitis. Nunc autem in manu vestra est, vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Hoc à vobis exigit pia Mater Ecclesia. Hoc etiam Nobis pollicetur spectata per tot annos omnium vestrum religio, atque probitas. Et qui Sanctorum principatum tenet, adaperiat cor vestrum in præceptis suis, & redimat vos à malis.

Dat. Auximi ex Ædibus Episc. XIII. Kal. Iunij MDCLXI.

A. Card. Bichius Ep. Auxim.

Ambrosius Lancellottus à Secretis

IN-

INDICTIO SYNODI DIOECESANÆ

ANTONIVS

MISERATIONE DIVINA TIT. S. AVG. S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS BICHIVS EPISCOPVS AVXIMANVS.

QVO primum tēpore, Diuina fauente clemētia, ac S.D.N. ſpeciali annuēte gratia, meritis licèt imparibus, ad ſuſcipienda Auximanæ Eccleſię gubernacula vocati ſumus, in ipſa oneris magnitudine inenarrabili lætitia exultauit in Domino cor noſtrum. Probè etenim compertum nobis fuerat, ad eam Nos peruenturos Ciuitatem, non minus primordij ſui antiquitate nobilem, quàm intemerata Catholicæ fidei profeſſione illuſtrem; Paſtoriſq; ſollicitudinem in Diœceſi, ac Grege pro viribus impleturos, qui vel propria ſatagunt proficere virtute, vel Sacerdotum præeunte morum innocentia, ac diſciplina, pedes ſuos in viam pacis dirigere nituntur. Et reuera, quæ animis noſtris inſederat de dilectiſſimo Clero, & Populo exiſtimatio, eam ſæpius experimento, ſummoperè gaudentes, probatam

batam

batam ſenſimus; ſiquidem tàm Canonicos Cathedralis noſtræ, quàm cęteros, Sacerdotali officio mancipatos, inuenimus, ſemetipſos prębentes exemplar bonorum operum. Verùm quia nequiſſimus hoſtis, ad detrahenda nobis virtutum ſpolia peruigil, quaſi quidam in ſaltu callidus latro, animarum noſtrarum rapinæ innumeris inſidiarum machinamentis quotidie inhiat, ſemperque conſueuerit, ſupra triticum ſeminare & zizania. Cumquè humano vſu non ſemèl deprehendatur, etiam ea, quæ ſapientiſſimo conſilio pro comuni omnium vtilitate laudabiliter inuenta, ac ſalubriter inſtituta ſunt, proceſſu temporis, vel prorſus deperire, vel à primæua inſtitutione inſenſibili gradu declinare, ac langueſcere. Nobis, quibus ex Doctoris gentium oraculo à Domino præcipitur: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi: in quo vos ſpiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*; ſpecialis cura incumbit, vt & tenebrarum Principis fallentes aſtus in irritum cadant, & quæ à Sacroſanctis Concilijs, atque à Prædeceſſorum noſtrorum ſingulari prudentia, ac ſincero mentis affectu ad Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ in pietate profectum emanarunt commendatiſſimę ſanctiones, inuiolabili, ſi fieri poteſt, obedientia ſeruentur, vt aliquan-

aliquando fidei nostrę creditas oues, in caulam Domini congregantes, & spiritualium bestiarum incursibus arcentes, vnà cum illis in ęternam transeamus vitam, & regnum. Ad quod fœliciter attingendum, cum maximè opportunam censeamus Diœcesanæ Synodi celebrationem; In ea enim lenioribus medicamentis infirma confirmari, disrupta consolidari, deprauata conuerti possunt, quęque iam corpora Dei beneficio prospera animarum salute gaudent, ad certiorem, & robustiorem conualentiam prouocari. Idcirco, vt etiam debita obedientia Sacrosancti Concilij Trid. decretis à Nobis exhibeatur, primam nostram Diœcesanam Synodum die 17. Mensis Maij proximè futuri, Deo adiuuãte, in nostra Cathedrali Ecclesia habendam duximus, prout hac nostra indictione notum id cunctis facimus. Monentes, ac in virtute Sanctę obedientię, & sub pœnis à Sacris Canonibus constitutis, alijsq; ad arbitrium nostrum strictè pręcipientes omnibus, & singulis Presbyteris, Parochis, Abbatibus, Prępositis, alijsque Ecclesiarum Rectoribus, & Beneficiatis quocumque nomine nuncupatis, Clericis Secularibus, & Regularibus, qui in dicta Synodo de iure, vel cõsuetudine interesse debent, & sua quomodolibet interesse putauerint, etiã exemptis,

qui

qui intra nostræ Diœcesis fines continentur, vt prçstituta die, & summo mane in nostra Cathedrali Ecclesia conueniant, declarantes, eis tantùm aduersam valetudinem opitulaturam, qui de ea Nos legitimè certiores fecerint, & tamen volumus, ipsos ęgrotantes per idoneos Procuratores actionibus Synodalibus interesse. Vt autem tantũ opus faustissimis auspicijs inchoari, ac ea, quam à Domino enixè postulamus, Cleri, ac Populi vtilitate à Nobis perfici possit, omnes per viscera misericordię Dei nostri impensiùs hortamur, vt assiduis precibus nobis, negocium tàm salutare tractaturis, Spiritus Sancti lumen, & opem implorent, cuius illustratione, ac prçsidio suffulti, quę ad Dei maiorem gloriam, & ad Ecclesiasticam disciplinam conseruandam pertinent, communi omnium consensu, ac lętitia statuere, minimè dubitamus. Postremò ne rei ignorantiam ad sui excusationem vllus adhibere valeat, publicum hoc Edictum per Secretarium nostrum confectum, ad valuas Cathedralis Ecclesię, aliarumq; Collegiatarũ, & Parochialium Ecclesiarũ Diœcesis nostrę, iussimus affigi, ac sigilli nostri impressione muniri.

A. Card Bichius Ep. Aux.

Ambrosius Lancellottus Secr. Synod.

De

De Fide Catholica ; & eius professione

CAPVT PRIMVM.

QVoniam , vt ait Apoſtolus , Iuſtus ex Fide viuit, verę què iuſtitiæ pabulum , ac Catholicæ Religionis inconcuſſa columna eſt Fides , qua & Deo placemus , & ad Dei æternam gloriam aſſequendam certiſſima ianua Fidelibus reſeratur ; Sollicitudo noſtra ſummo ſtudio enitatur , oportet , vt qui Nobis à Domino ſine vlla hæreſis labe , atque ſuſpicione traditus eſt paterna charitate grex gubernandus , conſeruanduſq; integer ſemper , atquè illibatus in Fidei conſtantia perſeueret.

Epiſt. ad Rom. c. 1.

§. 1. Præcipimus igitur , ac ſtrictè omnibus mandamus , pręſertim Vicarijs foraneis, & Eccleſiarum Parochialium Rectoribus , vt om-

nem operam, diligentiamq; impẽdant, ad conseruandam inter oues sibi creditas Orthodoxæ Fidei puritatem, ac decorem, curantes maximè, & verbo, & exemplo, vt nullaci, vel minima macula, aut scissura ab aliquo inferatur. Tunica enim Iesu Christi Domini nostri inconsutilis est, ab vniuersis pretiosissimo eius sanguine redemptis, summè, ac diligentissimè ante omnia custodienda, atquè veneranda, nequaquam perfidis, impijsq; manibus laceranda.

§. 2. Et quia vsu probatur, parum expedire, remoueri effectus, nisi & causæ ægritudinum arceantur, &, vt inquit ille, vnius tantùm pecudis pestilentissima tabe totum infici quandoq; gregem; idcircò hac Synodali sanctione iubemus, vt omnes hæretica prauitate suspecti, vel hæreticalia verba, & Blasphemias hæreticales publicè proferentes, vel libros à S. Inquisitione vti hæreticos damnatos, vel alio modo vetitos, absq; debita facultate lectitantes, & detinentes, item Astrologiæ iudiciariæ, veneficijs, & cuiusuis superstitionis generi dediti, ac vacantes, Nobis statim denuncientur, pœnas daturi, quas & eorum impietas, & à Sacrosanctis Concilijs, ac Patribus improbata, & detestata temeritas promeretur.

ex Edict. gen. S. Inquis.

§. 3.

§. 3 Iidem Animarum Curati, quasi tuba exaltent vocem suam aduersus illorum audaciam, qui Diaboli oestro perciti Sacræ Scripturæ diuina eloquia, ac reuerenda mysteria ad aniles fabulas, ad satyræ condimentum, ad res profanas trahere student, & si semèl, atquè iterùm moniti seriò non resipuerint, ad Nos eorum impios ausus illicò deferant; Congrua enim animaduersione docebimus, quanta reuerentia tractari ab omnibus debeant Sacrosancta illa volumina, quæ Spiritus Sancti oracula recognoscunt auctorem, & immaculati Agni cruore sunt reclusa. Cōc. Trid. sess. 4.

§. 4. Vt autem in eo, quod decretum est, de hæreticorum Nobis facienda denunciatione, nemo se excusare valeat: Parochi bis singulis annis, initio scilicèt Aduentus, & Quadragesimæ, hanc nostram voluntatem in memoriam reuocare vulgari idiomate fidelibus teneantur. Ex eodem Edict. s. Inquis.

§. 5. Quod ad eiusdem fidei professionem attinet, Canonici, & beneficium aliquod cum animarum cura nuper adepti, infra tempus à Sac. Concil. Triden. statutum, & sub pœnis ab eo decretis, item ad Confessiones audiendas de recenti promoti, Medici, Chirurgi, Theologiæ, Philosophiæ, & cæterarum libe- Cōc. Trid. sess. 24 c. 2. de Refor

 ralium

ralium artium professores, etiam grammaticen docentes, tàm in Ciuitate, quàm in Diœcesi, professionem Fidei in manibus nostris, vel coram Vicario generali, seù Vicarijs foraneis emittere nunquam prætermittant: nec ad talia munia peragenda, etiam nostrarum literarum testimonio roborati, admittantur, nisi in earumdem calce de Fidei professione, vt inferiùs præstita, illis constet.

Pius IV const. 88: t.2. Bullar.

Cōc. Trid. ead. sess. 24

§. 6. Teneantur præstereà, qui Canonicatum, vel aliam dignitatem in Cathedrali nostra obtinuerint, ipsam fidem in Capitulo profiteri ad mentem eiusdem Conc. & infra tempus ab eo constitutum.

§. 7. Demùm quòad Hebræorum in nostra Diœcesi commorationem omninò seruari mandamus, quæ per edictum nostrum, ad mandatum S. Congregationis DD. Card. generalium Inquisitorum efformatum, aliàs præscripta sunt. Scilicèt, vt nullus Iudæus intra, vel extra Ciuitatem, & Diœcesim nostram hospitari possit, nisi apud cauponas, non autem in priuatis diuersorijs, & in eodem loco consistat ad tres dies tantùm, & nundinarum tempore decem. Quibus elapsis, si diutius alicubi commorari auserit, grauibus pœnis ad arbitrium nostrum mulctari volumus, quas etiam pœnas omni-

liter. Sac. Cong. 6. Sept. 1659

omnibus Christi fidelibus, iurisdictioni nostræ subiectis comminamur, qui cum Hebræis domesticam societatem, ac mensam habere præsumpserint.

§. 8. Vt autem in hoc nulla fraus à Iudæis perpetrari valeat, ipsa die eorum ad Ciuitatem nostram accessus Cancellario Episcopalis Curiæ se se exhibere teneantur, & in Diœcesi Vicario Foraneo loci, quorum pręcipua cura fuerit, eamdem diem diligenter adnotare.

De Doctrina Christiana, & Prædicatione Verbi Dei.

CAPVT II.

QVemadmodum infantes, ab vberibus matrum suarum lac syncerum sugentes, breui temporis interuallo in robustiorem conualentiam saginantur, sic & pueri, sacro Baptismatis fonte regenerati, quando Christianę fidei præceptis sunt instituti, fortiores surgunt ad ipsas carnis, ac Dæmonum illecebras, & titillationes fœliciter superandas, neque in formidabili Dei iudicio euenire potest, vt tamquam ignorantes à Domino ignorentur. Cum itaque

D. Pe-

1.Petr.c.2. D. Petrus omnes hortetur, ad lac tàm dulce, ac ſalubre ſine dolo concupiſcendum; ſintque Orthodoxæ fidei rudimenta adinſtar illius columnæ, quæ flammis ardentibus coruſcans, Dei populum per præruptos deſerti anfractus ad manum ducebat; Singuli animarũ Paſtores, etiam ſi Regulares extiterint, in eam curam diligenter incumbant, vt Decretũ Sacroſancti Conc. Trid. de pueris, ſacra Cathecheſi erudiendis, omninò, ac inuiolabiliter, ſub grauibus pœnis ad arbitrium noſtrum, obſeruent, moneantquè parentes, & cæteros, qui paruulorum tutelam gerunt, eorum officij, & curæ eſſe, vt ijdem pueri Chriſtianæ doctrinæ elementa, quæq; ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſedulò addiſcant, rationem Deo poſt emenſum huius vitæ curriculum reddituri, ſi id fortè neglexerint.

Seſſ. 2.4.c. 4. de Reformat.

§. 1. Vt autem tantum opus à Parochis debita diligētia tractetur, habeant ſinguli ſingulos Eccleſiarum ſuarum pueros, à ſeptimo ſaltem, vſq; ad decimum quartum annum (quo toto tempore volumus, à parentibus, rectoribus, & ludi magiſtris, ad Chriſtianam doctrinam percipiendã cogi) in libello deſcriptos, pœnas ad arbitrium noſtrum eis comminantes, qui Synodali præcepto minimè paruerint.

§. 2. Sin-

§. 2. Singulis verò Dominicis diebus sono Campanulę, certa post prandium hora, pueri, puellęq. ad Ecclesiam conuocentur, qui separatim sedentes, omni charitate instruantur, pueri nempè tàm à Parochis,quàm ab alijs probatæ vitæ viris, fœminę ab eodem Parocho,honestisq. mulieribus,si commodè fieri possit; sitq. omnibus præcipua cura Parocho indicare, qui illa die Christianę Cathechesi non interfuerint, vt de eorum negligentia corripi possint.

§. 3. In Ecclesijs tamen ruralibus expedire arbitramur, vt fidei mysteria tradantur manè, vel inter Missarum solemnia, vel certè post Missæ sacrificia, iam absoluta, ita enim rudis populus Christiana doctrina commodiùs imbuetur.

§ 4. Clerici, alicuius Ecclesiæ seruitio mancipati,in tàm pio munere Parochis opem ferre nō detrectent,quod & Nobis gratissimū fuerit, & ex aduerso in eiusdem pietatis officio se se exercere nolentes, Nos sibi deinde intelligent haud leuiter offensos,neque ad superiores Ordines promouebuntur, quos ex Parochi testimonio constiterit,voluntati nostrę hac in parte defuisse.

§. 5. Orationem Dominicam, Symbolum, Salutationem Angelicam, Decalogi præcepta, & alia

& alia fidei rudimenta vulgari idiomate edoceant, neque ad matrimonia contrahenda, neque ad pias dotes assequendas, admittantur, siue viri sint, siue fęminę, nisi omnia proximè memorata apprimè memorię mādasse, certò sciant, volentes, vt de fœminis ijdem Parochi iuratam fidem de prædictis orationibus perceptis semper Nobis exhibere teneantur.

§. 6. Confessarij quoquè, post signū S. Crucis, pœnitentes ad ipsa fidei elementa recitanda, cupimus, compellant, dentq; potissimùm Parochi operam, vt vnusquisq; peccata sua ritè, ac rectè confiteri non ignoret.

§. 7. Ludi magistri singulis hebdomadis discipulos suos per dimidiā horam in Christiana Cathechesi saltem semèl exerceant, eosdemq; inflammēt, quàm possunt maximè, vt cœlestibus documentis, quę à se ritè accepere, imperitos deindè alios domi suæ informare velint; Peracta verò in instruendo opera, pueros ad Sanctę Missæ sacrificium comitentur: sic enim fiet, vt & mentes virtutibus humanis erudiantur, & in timore Domini debito incremento proficiant.

Sess. 24. c. 4. & 7. de Refor. §. 8. Parochi iuxta S. Conc. Trid. decretum, Verbum Diuinum diebus festis annuncient, ac oues, sibi creditas salutarium monitorum pabulo pascant. Quibus exceptis nemo concio-

nes,

nes, aut ſermones in quauis Eccleſia habere præſumat, abſque facultate noſtra, in ſcriptis obtenta; Volentes, vt quoad Regulares adamuſſim ſeruetur, quod hac in re ab eodẽ Trid. Conc. ſapientiſſimè ſancitum eſt.

§. 9. Cum autem Apoſtolicam perſonam repræſentent, qui Verbum Diuinum fidelibus miniſtrant; cumq; ornamenta cœlorum ſint virtutes prædicantium; ſeriò recogitent Dominici ſermonis pręcones, quanta eis cura impendenda eſt, vt tanto muneri, debitam grauitatem in concionando ſeruent, quantùmq. integritate vitæ ſatagere debeant, ad illa fugienda diſcrimina, quę Doctorem Gentium plurimùm perurgebant, timentem ſcilicet, ne cum alijs prędicaret, ipſe morum improbitate reprobus efficeretur. Sint ergo eorum in viuendo rectè facta Chriſti fidelibus prima ad virtutes ſectandas hortamenta. Caueant, ne ſermones ſuos ad ineptas fabulas conuertant. Opus ſuum in dicendo impleant, ſed Euangeliſtarum more, ac modo. Arguant, obſecrent, increpent; ſed in omni patientia, & doctrina, & abſq; particulari Auditorum offenſione. Animarum ſaluti, non priuatæ vtilitati inhient, ſcilicet vel ſe, vel alios paupertatis prætextu commendando, abſque noſtra, vel Officialium

D. Greg. hom. 30. in Euang.

1. ad Cor. c. 9.

Conc. Later. ſeſſ. 10. ſub Leo. X. Cõc. Trid. ſeſſ. 4.

nostrorum licentia. Sic enim bonum certamen certantes, & prædicationis cursum fœliciter consumantes, coronam iustitię à Domino accipere merebuntur.

Si quis verò monita hęc Synodalia despexerit, & munere suo tàm malè fungatur, vt correctione dignum se se exhibeat, talem Concionatorem corrigendi facultas sit penes Vicarios nostros, & si opus fuerit, etiam à prædicatione remoueant, quòd ijsdem Vicarijs plurimùm commendamus, pręcipiētes insuper, vt dum Verbum Dei annūciatur, omnes Campanę sileant.

Formula Fidei professionis iuxta Const. Pij Quarti.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quę continētur in Symbolo fidei, quo S. Romana Ecclesia vtitur, videlicet.

Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terrę, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sęcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.

Ge-

Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominũ, & viuificantem; qui ex Patre, Filioq; procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctã Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurectionẽ mortuorum. Et vitam venturi sęculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas Traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones, firmissimè admitto, & amplector. Item sacrã Scripturam iuxta eum sensum, quẽ tenet, & tenuit S. Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarũ Scripturarum admitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoq; ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouę legis, à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atq; ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoq; & approbatos Eccleſiæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quę de peccato originali, & de Iuſtificatione in Sacroſancta Trid. Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter, in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis, atq; in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, fieriq; cõuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atq; integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi.

Con-

Constanter teneo, Purgatoriũ esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter & Sanctos, vnà cum Christo regnantes venerandos, atq; inuocandos esse, eosquè orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorum Reliquias esse venerandas.

Firmiter assero Imagines Christi, ac Deiparę semper Virginis, nec non aliorum Sanctorũ habendas, & retinendas esse, atq; eisdem debitum honorem, ac venerationem impartiendã.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; vsum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco.

Romanoq; Pontifici, Beati Petri, Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cætera item omnia, à sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Trid. Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atq. profiteor; simulq. contraria omnia, atq; hæreses quascumq; ab Ecclesia damnatas, & reiectas, atq. anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc

Hanc veram Catholicam Fidem (extra quã nemo saluus esse potest) quam in pręsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & immaculatam vsq; ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atq; à meis subditis, seù illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voueo, & iuro, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

De Sanctorum Reliquijs, & Imaginibus.

C A P. III.

SI Gentes, quę verum Deum ignorabant, ac nullam respuebant religionis falsitatem, tanto venerationis cultu Numina sua prosequebantur, vt maximis ludis, & opimis spolijs, & hecatombe, & magnificentissimis Templis honorari vellent. Et tamen, si vel Iupiter ipse in ansere loqueretur, simulacrum eius, aures habens, non audiebat, quanta maiori sollicitudine curandum est Nobis, vt Reliquię Sanctorum,

Ambr. ep. cõtr. Symmach.

rum,

rum, in quibus mirabilia operatus est Deus, & debita pietate colantur, & in Sanctuario, decēter exornato, recondantur? Vt igitur vtrumq; faciliùs obtineri possit; hoc Synodali decreto mandamus, ipsas Reliquias omnes, & singulas diligentissimè recognosci, & pariter scripturas, & documenta, ad illas spectantia, accuratè considerari, quomodò scilicet translatę sint, quomodò receptę, etiam testibus, si opus fuerit, ad hoc examinatis.

Cõc.Trid. sess.25. de Inuoc.Vē. & Reliq. sāct & Sacr. Imag.

§. 1. Omnium verò Reliquiarum, & Sanctorum Corporū tàm in Ciuitate, quàm in Diœcesi, fiat cathalogus, & distinctè in libro, apud Episcopale archiuium semper asseruando, adnotentur; ibidemq; scribantur, quę Diuinę largitatis beneficio imposterùm obtinebuntur, probatæ Reliquię. Etiam singulę Ecclesiæ singularum habeant, & custodiant Reliquiarum indicem, ad quarum deuotionem, vt populus maiori cultu excitetur, ipsum cathalogum ad portam Sacristiæ, vel ad Aram, vbi sanctè requiescunt, affigi volumus, curentq; Parochi, vel ij, ad quos spectat, vt locus, vbi sacra hæc Pignora sunt deposita, & congruo ornamento resplēdeat, & duabus saltèm clauibus, illisq; diuersis, obserętur, quarum vna penes Ecclesiæ Rectorem, altra penes Magistratum, si consuetudo

id

id obtinuit, permaneat, non prohibentes, etiam pluribus seris Sanctuarium obstrui, quandò ipse vsus, vel aliud exposcit.

§. 2. Ignoti nominis Reliquijs, sed tamen probatis, hęc apponatur inscriptio. Sacræ Reliquiæ, quorum nomina ignorantur.

Greg. lib. 8. ex Reg. epist. 62. §. 3. Et quia Sanctorum merita exigunt, vt exteriori quoq; cultu nostram in eos declaremus animi deuotionem: etiam, atq; etiam exoptamus, ante Reliquiaria (nisi Sanctissimo Eucharistię Sacramento ità propè fuerint collocata, vt vna lampade duplici cultui satisfiat) lampadem propriam, si commodè fieri possit, iugiter ardere. Corpora verò Sanctorum, & Reliquias valdè insignes, vnius lampadis lumine carere nullatenùs permittatur; siquè, vt in nostra Cathedrali, plura sint Sanctorum Corpora, separatis recondita arcis, lampadum faces ità disponantur, vt sacris omnibus Pignoribus debitus honor exhiberi videatur.

Conc Mediol. 1. tit. de Sanct. Rel. Ven. §. 4. Quoniam verò à Sanctuario Dei omnem auaritię suspicionem abesse, decet, omnisq; scandali occasio, in Sanctorum Reliquijs ostédendis, est auferenda; eas non frequenter, cum id potiùs reuerentiam imminuat; sed in maioribus solemnitatibus, & particulares Reliquias in die festo eius Sancti, qui sit de pręcepto, ma-

gna

gna cum reuerentia, & apparatu decenti exponi, ac populo oſtendi, volumus: earumq; in expoſitione, & cum recondentur, Campanas pulſari, lumina, ſacros hymnos, orationes adhiberi, & ſi commodè fieri poſſit, etiam per Eccleſiam proceſſionaliter circumduci. Sacerdoti autem, in ea Eccleſia maioris dignitatis, ſuperpelliceo, ſtola, & pluuiali induto, cum ſcilicet ſit proceſſio, id munus reuerenter obire, incumbat; ſemperquè tàm in Eccleſia, quàm alibi iiſdem Reliquijs thus aſſiduè adoleatur: neque in huiuſmodi expoſitione populus ad eleemoſynas inuitetur, aut capſulæ, ad recipiendas oblationes, retineantur; ne turpis lucri gratia factum videatur, quod ſolùm ad fidelium pietatem prouocandam fieri debet. Conc. Mediol. 5.

§. 5. De vno ad alium locum ſanctiſſima Pignora transferre, vel eorum particulas, etiam minimas, etiam deuotionis ergò, cuiquam elargiri, aut ad ęgrotantes portare, nemini liceat, abſq; noſtra facultate, in ſcriptis obtenta. c. Corpora de conſecr. diſt. 1. Greg. XIII conſt. ſub die 15. Febr. 1583.

§. 6. Sanctorum imagines cum, & rudibus, & non rudibus, efficaciſſima ſint, ad pietatis, cęterarumq; virtutum imitationem, incitamenta, tàm decorè ſemper, tàmq; honeſtè, vel penecillo, vel ferro exprimantur, oportet, vt toto corporis habitu, atq; ornamento, deuotionem in-

C ſpirent,

Vrb. VIII. cōstit. 51. Bull. lib. 4. ſpirent, non pudorem. Nudas igitur Sanctorũ imagines pingere, eiſq;ornatum, ſanctitati minimè congruum addere, omninò prohibemus: nullaq;deinceps volumus exponi ad publicam venerationem ſimulacra,& imagines, quę priùs à Nobis benedictionem, iuxta Eccleſiæ laudabilem ritum, non acceperint.

Vrb. d. cōſtit. §. 7. Brutorum autem effigies in ſacris locis minimè inſpiciantur, niſi ad ſacram ſpectent Hiſtoriam, Crucis verò vexillum, & Sanctorum imagines pro ſignis tabernarum,aut officinarum habere,nefas penitùs ſit,& multò minùs in loco ſordido,aut pauimento. Quæ verò imagines, aut ſordibus deletæ, aut temporis iniuria labefactatæ ſunt, ab ijs tantùm renouentur, quorum intereſt, vel igni tradantur, & in ſacrario cineres recondantur.

§. 8. Quantò melius eſſet,parietes omnes in priuatis ædibus aduenarum oculis, prorsùs denudatos offerre, quàm Domeſticos ſuos imaginum turpitudine ad flagitia inuitare. Gentiliũ mos fuit, & mercedem ſtupri inter ſydera collocare, & Dæmonum aſtu,homines ipſos flagitioſiſſimos ità in diuina Numina aſſerere, atq; repræſentare, vt, qui eadem Numinum ſcelera feciſſet, non homines perditos; ſed cæleſtes Deos, (vt ait Auguſtinus) videretur imitari:

Hieron. in c. Amos. L. 1. Conf. c. 16

Sed

Sed abſint à domibus fidelium tanta irritamenta malorum;Et quemadmodum Nos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri omnes hortamur, vt nec ſe,nec puerorum animos, ſuaptè natura ad malum pronos,tàm peſtilenti rerum obiectu ad id magis incitari patiantur,ſic qui hortamentis noſtris minimè obſequetur, videat, ne ſibi theſaurizet iram in die iræ, & potiſſimum Clerici, qui, eiuſcemodi Icones in ſuis ædibus habentes, etiam pœnas, arbitrio noſtro infligendas, ſe nouerint, incurſuros.

De Ieiunio, & Feſtis diebus

CAP. IV.

NEmo eſt, qui neſciat, ſacrum Ieiunium ad hoc à Domino inſtitutum eſſe, vt per corporis macerationem mens purgetur, ſenſus ſubleuentur, caro ſpiritui ſubijciatur, cor fiat contritum, & humiliatum, concupiſcentię nebulæ diſſipentur, libidinum ardores extinguantur, & caſtitatis lumen accendatur. D. Aug. in ſerm de Ieiun.

§. 1. Verùm, quia magnum, & gratiſſimum Deo ieiunium eſt, ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi ſe abſtinere: Curent Parochi, D.Auguſt. ſup. Ioan.

rochi, vt hoc potissimùm oues suas sedulò edoceant, cum tempus ieiunādi inter Missarum solemnia annunciauerint: Et de sacro Quadragesimę ieiunio cęlebrando, prima eiusdem Quadragesimę Dominica ex professo pertractent; ne Popolus ignoret, quid ad ieunij obseruantiam pia Mater Ecclesia à fidelibus suis petat, quiduè per illud intendat.

Conc.Tid. sess. 25. c. 21. de Ref.

§. 2. Quadragesimæ tempore cibos vetitos, ad infirmorum vsum, venales publicè exponi, omninò prohibemus, sed certis tantùm locis, & ab eis vendantur, qui à Nobis, vel Officialibus nostris vendendi facultatem obtinuerint, ipsis Tabernarum valuis magna ex parte semper obseratis.

Conc.Mediol.1.p.2. tit. de Ieiun.

§. 3. Ad arbitrium nostrum infligendas intentamus pœnas Cauponibus, qui absq; prædicta licentia, eodem sacro tempore, interdictos cibos, vel ipsis peregrinantibus apponere, ausi fuerint. Mandantes insuper. Vt dum Verbum diuinum Quadragesimali tempore annunciatur, nullæ omninò pateant officinæ, quò fideles à concione audienda non distrahantur, sed in eadem diligenter intersint, sicut in Domino vnicè desideramus, eos esse frequentes.

§. 4. Ieiunij tempus significetur in Ciuitate ab Ecclesia Cathedrali sonitu Campanæ, pridiè

circa

circa mediam horam noctis, & in Diœcesi à Parochiali, pręmonito tamen à Parochis populo de huiusmodi sonitus significatione.

§. 5. Cùm Quadragesima ab Apostolo, Tempus acceptabile, & dies salutis appelletur, moneant Parochi fideli, ac suaui sermone populum, sibi creditum, vt non solùm se abstineat à carnalibus desiderijs, quę militant aduersus animam: sed ab omni culpa, nec non alearum ludis, tàm publicis, quàm priuatis, quos Diabolus profectò in mundum inuexit, vt cum ipsa rerum substantia, etiam animæ salus sæpissimè periclitetur.

Epi. 11 ad Cor.

1. Petr. 2.

Nicolaus 1 ad consult. Bulgar.

§. 6. Quamuis autem nulla sint tempora, quæ nos ad Deum nostrum, qui est benedictus in sæcula, glorificandum, eiq; grates, pro tot beneficijs persoluendas, non alliciant, quin & iurè meritissimò vrgeant; Diebus tamèn Festis, omnium fidelium mentes in hæc pietatis, ac grati animi officia maiori studio incumbere, necesse est. Vt igitur sabbatha Domini debito venerationis cultu sanctificentur, chorẹas, saltationes, præsertìm publicas, & spectacula, præcipua culparum offendicula, prohibemus; neq; volumus, Mimos, circulatores, aliosq. histriones, artem suã diebus festis exercere, aut merces circumferre, & populo venales apponere.

Conc. Mogunt. 4. c. 61.

§. 7.

Conc.Mediol. 1. p. 7. tit.de Fest.obser.

§. 7. Emporia, Nundinæ in festorum solemnitatibus non celebrentur: Apothecæ nullæ pateant, neq. ad victum necessaria vendere liceat, nisi magna ex parte officinæ ostium claudatur.

§. 8. Ante Ecclesias verò, vbi diuina Officia celebrantur, nec clamor vllus audiatur, nec in earum plateis res venales exponantur.

Conc.col. 2. p.9. c 9.

§. 9. Diebus festis à pistoribus nec frumentum, nec farina purgetur, panis non coquatur; frumentum à molitoribus non asportetur, neq; in molendinis conteratur, nisi fortè id necessitas exegerit. Tonsoribus capillos, aut barbam radere, molendinarijs oliuas cōterere, aut oleū exprimere, pannos purgare, seù abluere, in quolibet die festo de precepto, inferiùs annotato, interdicimus, pœna scutorū quatuor, ad arbitrium nostrum eroganda, contra Festorum violatores imposita; & insuper bestiarum, ac vehiculorum iacturæ, qui huiusmodi merces, & fruges circumferre deprehendatur, quarum pretium ex nunc fabricæ maioris Ecclesiæ illius loci, in quo peccatum fuerit, adiudicatum volumus; pœnasq. Patres, & Domini luent, si in hoc eorum filij, aut famuli, vel quis alius minister, deliquerint.

Conc Mediol. 1. p. 1. tit.de fest.obser.

§. 10 Prouincia Marchiæ, sacratissimo Domus Lau-

Lauretanæ, in qua Verbum Caro factum est, Tabernaculo, ità à Domino cæteris altiùs honorari promeruit, vt Gens sancta, Populus electus, ac Prouincia, cumulatissimè fœlix, ab vniuerso Christiano Orbe iurè, ac meritò appelletur.

§. 11. Tanto igitur Diuinę largitatis muneri, vt Ciuitas, & Diœcesis nostra, quà maiori potest ręuerentia, atq. animi gratitudine, respondeat. Præcipimus, in tota Ciuitate, ac Diœcesi diem Translationis eiusdem Almæ Domus solemniter agi, noctuq. de more Campanas pulsari. Idem etiam præstari, cupimus, in sanctissimæ Virginis, ac Martyris Theclæ, Cathedralis nostræ Titularis, ac Patronæ natalitio die, mandantes, vt cum octaua in Ciuitate ab omnibus celebretur.

§. 12. Postremò, qui Officium Diuinum recitare tenentur, in eo ordinando, quandò aliquod Festum de Sanctis huius Vrbis contigerit, se se conformare studeant ad kalendarium, hìc appositum, vt in Diœcesi nostra vna sit, ad Sanctorum venerationem, Psalmodia, atq. vna methodus.

k A-

trahendum, contractumq; dirimendum, ex ea oriatur.

§. 6. Nomina turpia, ridicula, vel Gentilium propria, infantibus non apponantur; sed eo Sanctorum nomine quisquis studeat filios suos decorari, quorum vestigia, postquam discretionis annos attigerint, sequi valeant, & patrociniis defendi.

Conc. Nicæn. 1. ex Arab. c. 30

§. 7. Teneantur Parochi, toties, quoties baptizant, grauioribus verbis paruulorum Parentes, & Nutrices admonere, atq; etiam præcipere, ne ipsos infantes, ante primum illorum ętatis completum annum, in eodem secum lecto dormire noctù, permittant, vt periculum oppressionis, seu suffocationis omninò euitetur, & ne ipsæ matres, tamquàm filiorum suorum Matricidæ, etiàm à Domino, temporali, vel æterna pœna afficiantur.

§. 8. Ad tollendam in hoc Sacramēto, quod purè, sanctèq; tractandum est, omnis superstitionis occasionem, non concedant Parochi, sal benedictum, vel bombicem, quo vnctio sacri Chrismatis extergitur, vel quid aliud, quod in ipsius Sacramenti ministerio adhibitum est, domum referri; sed omnia in Ecclesia apud se retineant, vel igni tradant comburenda.

§. 9. Quò ad fontis baptismalis constructio-

nem, seù restaurationem, adamùssim seruentur, quæ a Nobis in Visitatione præscripta sunt, eademque præstetur à Parochis obedientia cæteris decretis, hac in re, & in alijs, à Nobis emanatis; ne Visitationis munus itèrum obeuntes (quod propediem fore, Deo largiente, confidimus) ad eos, de negligentijs in furore arguendos, iusta occasione trahamur.

§. 10. Receptis à Nobis, ipso Cænę Domini sacro die, nouis Oleis, ad Baptisimi, & Extremę Vnctionis vsum, vetera Parochus cum bombice comburat, & cineres in Sacrarium deijciat.

Côc. Trid. sess. 24. de refor. matrim. c. 1. §. 11. Habeant postremò Animarum Curati in Ecclesia Baptisimali librum, in quo Baptizatorum, Parentum, & Patrinorum nomina, ad formam Ritualis Romani, signentur.

De Sacramẽto Cõfirmationis
CAP. VII.

SAcramentum Confirmationis, ad hoc à Domino institutum esse, constat, vt noui in Christiana fide milites, post lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, nouę virtutis robore firmentur, & perfecti Christi Athletę fortiores surgant aduersus Principes tene-

De confer. dist. 5. c. Spiritus Sanctus,

tenebrarum harum, licèt enim sacra hac in Vnctione caro signetur in fronte, anima tamèn intus consecratur, atq. mens munitur, vt & intrepidè cum spiritualibus nequitijs colluctari possit, & Dei beneplacitis promptius obtemperare.

§. 1. Cum igitur eiuscemodi Sacramentum administrare opportunum Pontifici videbitur, eius vim, ac dignitatem Parochi fideles suos edoceant, ne minori pietate illud suscipientes, ipsorum culpa, ac maximo malo eueniat, vt frustra in eis diuinum beneficium collocetur.

§. 2. Moneant adultos, vt peccata sua confiteantur, antequam Sacramento Confirmationis initiĕtur, vtq; omnes pridie illius diei caput lauent, & mundent, quo erunt confirmandi. Cōc. Col. 2. p. 7. c. 9.

§. 3. Fidei rudimenta ignorantes, & septennio minores, nisi aliud Nobis videatur, non confirmĕtur, & ridicula, ac indecora nomina in alicuius Sancti Nomen commutentur.

§. 4. Nullus Patrinus, plusquàm duos confirmandos suscipiat, nec patrini sint aliquo Clericali titulo insigniti, aut filiorum, parentes, vir Vxoris, Masculus fœminæ, fœmina masculi, nec pueri natu maiorum, neq. hoc munere fungantur, qui non dùm fuerint confirmati, nec Patrinus esse in Confirmatione eius pueri pos- Conc. Mediol. 1. p 2. titul. quæ pert ad Sacram Cōfirm c. nō plures de cōf. dist. 4. c. in Baptismate de cōs. dist. 4.

 sit,

ſit, quem in Sacramento Baptiſmi ſuſcepit,niſi neceſſitas cogat.

Cõc.Trid. ſeſſ. 7. de Sacr. can. 9.

§. 5. Caueant omnes, qui ſe confirmatos ſciunt, ne ad Sacramentum hoc denuò ſumendum, accedant, nam pręterquamquòd grauiter peccarent, quia Confirmatio imprimit in anima indelebilem characterem, ſeuerè etiam à Nobis punirentur.

Cõc.Trid. ſeſſ. 24. de matr. c.2.

§. 6. Quod ſupereſt, doceant Parochi, in Sacramento Confirmationis eamdem contrahi ſpiritualem cognationem, quæ contrahitur in Baptiſmo. Habeant librum, in quo Confirmatorum, & Patrinorum nomina ſcribantur, eoſq; benè inſtituant, antequàm, ad huiuſmodi Sacramentum recipiendum, accedant.

De Euchariſtiæ Sacramento. CAP. VIII.

IN Auguſtiſſimo Euchariſtię Sacramento Dominum, ac Redemptorem noſtrum memoriam feciſſe mirabilium ſuorum, ac nouiſſima ſuæ in nos dilectionis monumenta dereliquiſſe, & diuinus cecinit Vates, & Euangelica teſtãtur oracula. Cum itaque nullum aliud myſterium, tamquàm diuinæ gratię certiſſimum inſtru-

instrumentum nobis commendatum, cum tant Sacramenti admirabili excellẽtia, dignitate, ac virtute comparari possit, quippè quod ineffabili modo pretiosum Christi corpus, ac sanguinem verè, realiter, ac essentialiter continet, expendant, & attentè considerent Sacerdotes, & fideles omnes, quanta animi pietate, reuerẽtia, ac submissione illud vel sumi, vel tractari debeat, ne manducantes, aut bibentes indignè, iudicium sibi manducent, & bibant, non diiudicantes corpus Domini.

Cõc. Trid. session 13 can. 1 de sacros Euchar. Sac.

D. Paul. Epist. ad Cor. c. 11.

§. 1. Et quia exteriori etiam cultu tàm grande mysterium nos venerari conuenit, Tabernaculum eiusdem Sanctissimi Sacramenti pro cuiusq; Ecclesiæ facultate ligno, vel alia nobiliori materia constructum, extrinsecus decentissimè ornari, mandamus, interiori parte panno serico albo, vel rubeo circumuestita. Ita verò in Altari ipsum Tabernaculum collocetur, vt ex eo commodè Pyxis Sacramenti, quę semper argentea erit, & in fundo eiusdem Tabernaculi supra corporale nitidum requiescet, educi possit, absque necessitate super Altare ascendendi. Conopæo etiam serico, vel aliàs honesto, & nitido, pars Tabernaculi exterior contegatur, nihilquè in eo custodiatur, pręter sacratissimum Domini nostri Corpus.

c. 1. de cust. Euch.

§. 2. In

§. 2. In primis autem edoceat populum Parochus, ipsi sanctissimo Sacramento, quod, vt ait D. Augustinus, visibili elementorum specie, & inuisibili carne, & sanguine ipsius Domini nostri Iesu Christi, constat, latrię cultum, qui tantùm vero Deo debetur, exibendum esse. Idemq; Parochus curet, vt saltem quinque sacræ particulæ in Pixide semper adsint, octauo quoquè die, feria scilicet quinta de alijs recentibus hostijs renouandæ.

cit. à Cathech. de Sacram. Euchar.
Côc. Trid. sess 5. can. 6.
Conc. Rauen sub. Clem. 5. c. 7.

§. 3. Ante salutaris Hostię Tabernaculum in nostra Cathedrali Ecclesia festis diebus semper tres lampades ardere volumus; & in alijs Ecclesijs ad minus vna diù, noctùq; luceat; quin & plures, vbi per Ecclesię prouentus commodè fieri potest. Qui verò horum luminum conseruationi preest, curam adhibeat, vt lampades congruè aptatæ, & à sordibus sępè emundatæ jugiter ardeant, ne nostram incurrat indignationem, ac vindictam.

Conc. Mediol. p. 2. titul. quæ pert. ad Euchar.

§. 4. Memores Parochi celebris illius S. Augustini sententiæ: Accipe quotidiè, quod quotidiè tibi prosit, & sic viue, vt quotidiè merearis accipere; fideles suos hortentur, vt ad sacram Eucharistiam frequenter, ac reuerenter accedant, nulliq; extra Parochialem Ecclesiam tempore Pascatis eam sumere permittant: hoc

tract. 6. in Matth.

est

est enim Catholicæ Ecclesiæ preceptum, cui ab omnibus obtemperari volumus, propositis grauibus pœnis sæcularibus, ac Regularibus Sacerdotibus, qui laicis, de eorum Parochia non existentibus, Sacram Communionem ministrare ausi fuerint.

Clement. 1 udum de supult.

§. 5. Si mulieres in Ecclesia propter Angelorum reuerentiā caput velare iubentur, quantò magis hoc adimplere debent, cum ad ipsum Angelorum Dominum suscipiēdum accedunt? Redoleat igitur fœminarum habitus, atq; cultus virtutum fragrantiam, non indecori ornamenti vanitatem, velo capita sua obumbrent, sinus tegant, & quoad fieri potest, seiunctæ à viris accedant, præcipuè cum in Paschate communio fidelibus dispensatur.

33. q. 5. c. Mulier d. 2.

Conc Mediol. 1. p. 2 titul. quæ pertin ad Euch.

§. 6. Cum in huiusmodi Sacramenti ministerio omnis auaritiæ vmbra sit profliganda, caueant Parochi, ne quod vas, aut capsulam, pro eleemosyna à communicandis, vel communicatis conferenda, proponant, siuè proponi permittant.

§. 7. Ad hoc venerabile Sacramentum, neq; publici Cōcubinarij, neq; fœneratores publici, admittantur, quandiù in malitia perseuerare eos, perspicuum sit; Et prima vice, antequàm adolescens, siuè masculus, siuè femella ad

idē Conc.

la ad Sacram Communionem recipiendam accedat, à proprio Parocho examinetur, nùm ea iudicij ratione, & discretione vigeat, vt per hæc tanti Sacramenti particeps fieri adhùc mereatur.

Cōc. Trid. sess. 13. can. 9. §. 8. Qui verò propriæ salutis immemores, in peccatis ità obduruerint, vt tempore Paschali Sacram Eucharistiam sumere prætermiserint, intra quindecim dies, ab Octaua Paschatis, ad nos, vel Vicarium nostrum deferantur; exposita etiam causa, extra Confessionem accepta, de eorum abstinentia: idemq; à Parochis fiat de absentibus, si post reditum intra prædictum tempus in propria Parochia ad Communionem non accesserint, aut de alibi ea sibi impensa legitimum testimonium non attulerint; Insurgemus enim in illos ea pœnarum seueritate, quam Ecclesia Catholica ipsis neglectoribus comminatur.

Clement. Dudum de sepult.

c. omnis vtriusq sexus de Pœnit. rem. §. 9. Careant Ecclesiastica sepultura, qui, huiusmodi præcepto non adimpleto, decesserint, vtq; adamùssim seruetur, quod in eo à nobis decretum est, dentur à Parochis Schedulę communicantibus, quas deindè ab ipsis, post octauam Paschatis, exigi, mandamus.

§. 10. Quamuis summa animi nostri lætitia certò sciamus, tàm in Ciuitate, quàm in Diœcesi

ceſi ſacrum viaticum honorifico fidelium comitatu ad ægrotos deferri: Quia tamen qualiſcumque cultus, & obſequium tanti Sacramenti dignitate inferior eſt; omnes oues noſtras paterna charitate in Domino hortamur, vt maiorum ſuorum virtutes in hoc pietatis officio certatìm æmulentur, & augere ſtudeant; quiq; perſonaliter obſequium præbere non poſſunt, maxima reuerentia ſanctiſſimam Euchariſtiam in manu ſacerdotis, prætereuntis, venerentur, & adorent, certi, à nullo munificentiſſimum Numen, Deum noſtrum, ſe vinci beneficijs pati, ſemperq; ſolitum, etiam minimis Religionis officijs ampliſſimam rependere remunerationem.

§. 11. Antequàm Euchariſtiæ Sacramentum ad ęgrotantes deferatur, ipſos Parochus viſitet, videatq; an in eo ſtatu ſint, vt illud ſumere poſſint; & poſtmodùm mandamus, aliquo Campanæ ſigno fideles, ad idem Sacramentum comitandum, conuocari, quibus etiam à Parocho ſignificetur, gratiſſimum Deo fore illorum obſequium, ſępiuſquè indulgentias, à Summis Pontificibus, aſſociantibus conceſſas, in memoriam reuocent, vt ſaltèm rei proprię ſtimulis, ad exibendum ſeruatori, ac Domino Deo noſtro debitum honorem, moueantur.

§. 12. In eis locis, vbi Sanctissimi Sacramenti sodalitas non est, institui, mandamus; cui specialis cura incumbat, de huiusmodi comitatu,& obsequio, Sacratissimæ Eucharistiæ prę-stando. Si quid autèm in aliqua Parochiali Ecclesia desideretur, ad decentem Eucharistiæ delationem; Parochi id Nobis significent, vt opera, ac cura nostra defectui prospiciamus. numquàm verò sine vmbella, saltèm parua, Eucharistia deferatur.

§. 13 Ad infirmos duę saltèm sacræ particulæ afferantur, quarum vnam sumere valeat ægrotus, altera ad Ecclesiam reportari, dummodò Sacramentum de nocte, vel ad loca distantia, & accessu difficilia, non sit asportandum, vel statim, post Communionem, Extrema Vnctio adhibenda; tunc enim vnā tantùm particulam deferri, satis esset. In omnibus verò Parochialibus Ecclesijs adsit etiàm paruula Pixis argentea, qua, pro deferendo ad ęgrotantes Eucharistiæ Sacramento, Parochus vtatur. Sacculus item sericus adhiberi poterit, in quò Pixis cum Sacramento per loca, ab Ecclesia distantia, & tempora aspera, asportari, absque periculo valeat, qui sacculus corda serica adeò protensa alligetur, vt Sacerdotis collo imponi possit.

Leo. IV hom. de cur. Past.

§. 14. In

§. 14. In aduentu Sacratiss. Corporis Christi, absit, vt infirmorum domus, & cubile, non sit omninò mundum, ac decenter ornatum; vtquè Angelorum Dominus, etiam in priuatis ædibus, honorificentius excipiatur, paretur Curati opera mensa, cum Cruce, candelabris, candelis, & vase vitreo, ad ablutionis vsum, &, si hæc à domesticis prçstari non possint, ab ipsa Sanctissimi Sacramenti societate accommodentur.

§. 15. Sine legitima verò facultate, in Ecclesijs Eucharistia non seruetur, cçteraq; ad eius exteriorem cultum integrè custodiantur, quæ à Nobis in Visitatione sunt ordinata. Aloysius Ricc. coll. decis. p. 4. coll. 1216.

§. 16 Expositio Sanctissimi Sacramenti, ad quadraginta horarũ spatium, nullibi fiat, absq; nostra licentia, & tunc sacratissima Hostia, à populo adoranda, ità eleuetur, vt Sacerdos eam, vel exponere, vel recondere valeat, sine necessitate, ad Altare ascendendi, & pedibus, aut genibus illud calcandi; quod sanè magnam in se habet indecentiam. Sanctissimum verò Sacramentũ pro quadraginta horarũ oratione, manè tantùm exponatur, post missç celebrationem, assistẽtibus, qualibet hora, duobus saltèm, vel pluribus Confratribus, iuxta ipsius Sacramenti societatis laudabilem institutionem.

De Sacramento Missæ Sacrificio.

CAP. IX.

DE sanctissimo Missæ sacrificio, in quo recolitur memoria Passionis eius, qui pro nobis patibulum Crucis ascendit, & passus est, viuentem se Hostiam Deo Patri immolari, tàm multa à doctissimis, & religiosissimis Viris piè, & luculenter scripta sunt, vt, in eius virtute, atq; excellentia exponenda elaborare, prorsùs superuacaneum existimemus.
Esai. 52. Tantumodò curandum est, vt singulari pietate, ac religione à Sacerdotibus perficiatur: Qui
Côc. Trid. sess. 13. c. 7. propterea recogitantes, quàm mundi esse debeant, qui Vasa Domini ferunt; antequàm ad sacratissimã Hostiam immolandam, accedant, conscientiam suam emundent ab omini carnis
Soph. 1. inquinamento, ne manibus pollutis sancta tractantes, in muneribus suis à Domino irri-
D. Amb in quod. ser. deantur, & filij Apostolorum Principis fiant socij Iudæ, & præambuli Antichristi.

Côc. Med. 1. p. 2. tit. quæ pert. ad sacrif. miss. §. 1. Meditentur igitur Sacerdotes, quale mysterium peragere debeant, Missam prælegant, & signacula suis locis accuratè disponant,

Mis-

Missali nouo tantùm, Pij Quinti Pont. Max. iussu edito, & à Clem. Ottauo recognito, vtantur, cæremoniasq; in ipso adnotatas, seruent ad vnguem, aliaq; diligentissimè exequantur, quę, Sacr. Trid. Synod. à spiritu Sancto edocta, nos quoq; seruare, docuit.

§. 2. Sacris indumentis vestiti, ab omnicolloquio se abstineant, nec cum eis peccata sua confiteantur; incessu graui, & cooperto capite ad Altare Domini progredientes, neminem salutent; sed tantùm caput aperiant, & genu terram tangentes, profundè se inclinent, quandò eis contigerit, ante Altare Sanctissimi Sacramenti expositi, transire: in ipsaq; celebratione, & toto sacrificij tempore tales se exhibeant, quales esse decet Christi ministros, vtq; populus eorum exemplo ad singularem modestiam, interioremq; pietatis sensum, excitetur. Cōc.Trid. c.8.&Cōc. Med. vbi sup.

§. 3. Ante Auroram verò, & post meridiem, nulli Missam celebrare liceat; & Parochos, vt nullius gratia Missam, præsertim in Festis de præcepto, anticipare volumus, ità ab omnibus celebrari ea hora mandamus, quæ vniuerso populo màgis fuerit opportuna. Cōc.Med. ibid. Cōc. Trid. sess. 22.de sacr. miss. c.8.

§. 4. Numquàm, in recipiendis fidelium oblationibus, osculandæ præbeantur, aut Patena, aut sacræ Reliquiæ; sed tantummodò Crux,

aut

aut parua imago, quæ signum pacis appellari solet, recedente Sacerdote parumper ab Altare, non autem per Ecclesiam vagante.

§. 5. In Altari semper parētur ad Missam necessaria, antequam Sacerdos, ad celebrandum, ascendat; nec minister aliquis, aut Clericus, in minoribus constitutus, aut Calicem tangere, vel in Altari aptare, audeat; sintq; Sacerdoti, celebrāti ministrantes, tàm benè sacristæ opera instructi, vt munus suum digna cum corporis, ac mentis compositione obeant, viris etiam nobilibus ad hoc Angelicum opus allectis.

c. nō oportet de cō sect.

§. 6. Moneant Parochi frequentèr patres familias, & Dominos, vt filios, & famulos, qui in grege pascendo, aut alijs ruralibus operibus occupantur, saltèm diebus festis Missæ interesse, iubeant: ne ipsi filiorum, famulorumq; peccatis grauentur.

Cōc. Trid. sess. 22. vbi supra.

§. 7. Ornamenta Altarium, & quæcumq; ad Sacrificium pertinent, planè sint munda, & sordibus abluta: & quoad fieri potest, Hostiæ, immolandę, Sacerdotali, vel Clericali manu conficiantur.

c. relinqui de Custod. Euchar.

§. 8. In Ecclesia Cathedrali, & Collegiata numquam Missa Conuentualis prętermittatur, etiā si ea die Missa pro Defunctis, vel alia quęcumq; sit celebranda: Et cum duæ celebrandæ

Cōc. Trid. sess. 24. c. 12.

erunt

erunt Missæ, prima post Tertiam, post Nonam altera decantetur, Canonicis debitum suum, quoad assistentiam, adimplentibus; Diebus verò festis Missam semper cum solitis Ministris in Cathedrali celebrari, mandamus.

§. 9. Officia Defunctorum in quibusuis Ecclesijs eadem die celebrentur, qua in Tabella signantur; nec contra Testatoris voluntatem in aliud tempus transferri possint, nisi ipsamet dies aliquo solemni festo fuerit impedita; tunc enim in subsequenti feria iusta mortuis persoluantur. Quęlibet autem Ecclesia Tabellam habeat, in qua adnotentur Missæ omnes, quę quacumq. die celebrari debent, hęcq; Tabella, in Sacristia loco patenti affixa, semper seruetur. Cōc. Trid: sess. 25. c. 4. de Ref.

§. 10. Nullus Sacerdos, paruo quàmuis pileolo, etiam sanitatis causa adhibito, celebrare audeat, nisi priùs de eo deferendo licentiam obtinuerit.

§. 11. Alienę Diœcesis Sacerdos, ad celebrandam Missam in nulla Ecclesia admittatur, nisi sui Ordinarij literas testimoniales exhibeat, quę, & diligentèr de earum legitima forma examinandæ sunt; nec post annum ei suffragari volumus: nisi etiam testimonium afferat de vita &, moribus ab illis Ordinarijs, in quorum Diœcesi tùnc temporis permanserit: & hoc mandatum Cōc. Med. ibid.

no-

noſtrum etiam ad Sacerdotes vagos, incognitos, & notoriè criminoſos extendi, volumus

§. 12. Talari veſte, in offerendo Miſſę ſacrificio, non vtentes, pœnis ad arbitrium noſtrum

Conc. Lunens. c. 66. ſubiacebunt, & Sacriſtę ſub ſimilibus pœnis caueant, ne illos ad ſacrificandum admittant. Indignum eſt enim, vt ad Altare immolaturi accedant, qui corporis indumento ſæcularem perſonam potiùs, quàm Sacerdotalem dignitatem aliquo modo reprę ſentant. Dum verò iter

c. nullus 21, q. 4. faciunt, cùm breuioribus veſtibus, ad genua tamen vſq. protenſis, admitti, non prohibemus.

§. 13. Ad Sacerdotale miniſteriũ promoti, antequàm primum Miſſæ ſacrificium Deo offerant, in omnibus ſacris cæremonijs ritè, ac rectè inſtruantur: celebrare tamen neq. tunc poterunt, niſi petitá priùs à Nobis licentia in Ciuitate, & à Vicarijs noſtris Foraneis, in Diœceſi.

§. 14. Qui per ſe celebrare, ex pia Teſtatorum voluntate tenentur, per ſe etiam oneri ſuo

Vrb. VIII. Conſt. 43. ſatisfaciant; niſi aliquo Eccleſiaſtico Beneficio, quod reſidentiam requirat, vel alitèr legitimè ſint impediti, facultate etiam à Nobis impetrata. Et quò ad cętera, conſcientiam illorum onerantes, monemus, vt ex integro vnuſquiſq. debitum ſuum adimpleri curet; ne pręter culpæ lęthalis reatum, etiam fructus malè perceptos

ceptos restituendi, obligatione ligetur.

§. 15. Prefinita verò die in aliqua Ecclesia celebrare tenentes, eadem die, & in ipsa Ecclesia partes suas expleant, nisi legitimo impedimento retardentur: Alienum est enim à Sacerdotis ministerio, Ecclesiam suam lucri gratia deserere, atq; oneris, sibi impositi, prorsus obliuisci. Conc. Vasens. c. 4.

§. 16. Vt autem certiùs constet, de Missarum oneribus adimpletis, liber in Sacristia habeatur, in quo singuli Sacerdotes manu propria, vel aliena de mandato, solùmmodo post celebrationem, non antè, sub pœna suspensionis, ipso facto incurrenda, & Nobis reseruata, scribere teneantur, qua die Missam celebrauerint, in quo Altari, & cuius nomine, qui liber in fine cuiusq; mensis ad Vicarium nostrum Generalē, & in Diœcesi ad foraneum deferatur, vt vel fructuum, seù mercedis restitutio imponi, vel Missarum celebratio, proût conuenit, repeti possit.

§. 17. In altero verò libro, à primo seiuncto, omnes Missas sacristę notari faciant, quæ vel ex deuotione, vel aliqua alia accidentali causa celebrantur.

§. 18. Demùm, expleto Missæ Sacrificio, & sacris exutus vestibus Sacerdos, aliquantulùm

G oran-

orando, de perceptis muneribus gratias Deo referat; & deinde iterum manus lauet, quæ Sacra contrectauerunt.

De Sacramento Pœnitentiæ. CAP. X.

S. Leo, Ser. 2. de Natiu. Dom.

DEus omnipotens, & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, etiam secundam post naufragium Tabulã, Sacramentum scilicèt pœnitentiæ inuenit; ne peccatorum vorticibus absorberentur, ac proindè Dęmonis mancipia fierent, quos Homo factus preciosissimo sãguine suo redimere dignitatus est. Cum igitur Pœnitentia non secùs lapsis post Baptismum ac Baptismus non dùm regeneratis, prorsùs ad salutem sit necessaria: cumq; vnusquisq; experimento fateri cogatur, incredibilem esse humanæ conditionis fragilitatem: Oues suas Parochi fideli sermone in Festis solemnioribus, ac pręcipuè Quadragesimæ initio, hortentur, vt non solùm semèl in anno, iuxta S. Ecclesiæ mandatum, peccata sua confiteantur; sed quàm sæpissimè Sacramentum hoc debita animi contritione, ac reuerentia suscipiant: Nihil est enim illo

Trid. Synod. de Sacramen. Pœn.

Cõc Trid. sess. 14 c. 5 de Sacr. Pœnit.

vtilius

vtilius; & religiosè sumentes, maxima conscientię pax, & tranquillitas, cum perfecta, ac vera spiritus lætitia sequi, solet.

§. 1. Et quia à salutari, atq; legitima huius Sacramenti administratione plerumquè dependet vera peccantium emendatio, atque incolumitas animarum; talis Sacerdos, ad id munus exercendum, deligatur, qui in examine, non perfunctoriè, sed accuratè facto, suam declarauerit doctrinam, atq; prudens iudicium, quibus, & pœnitentem iuuare, & instruere, ac dirigere, interq; crimina, quę grauia, quę lęuia sint, pro cuiusq; hominis ordine, ac genere, discernere possit, &, vti Medicus, opportuna remedia, ad ægrotos sanandos, adhibere.

§. 2. Confessionem Sacerdos auditurus, pœnitentem benignè excipiat, vt peccata omnia, absq; mendacio, & stulta verecundia, prodat, hortetur; Necessarias, & opportunas interrogationes non prætermittat (Hoc tamen cum pueris, & puellis, alijsq; rudibus hominibus tàm cautè fiat, ne quod ignorant, imprudenter interrogati percipiāt) Signa admirationis, detestationis, vel horroris non ostendat, cum aliquod graue, aut enorme peccatū audierit; sed ad confessionis finem omnia dissimulans, vinum, & oleum super sauciati vulnera infundat; ac postremò,

c. qui vult. dist. 6. de Pœni.

d. c. qui vult.

Cōc. Mog. 4. c. 29.

Conc. Later. 4. c. 21

c. vtriusq; sexus de Pœnit. & remiss.

ſtremò, ſi in aliquibus caſibus, putà, vel quia Pœnitens ſit excommunicatus, vel aliquod crimen Sedi Apoſtolicæ, aut Epiſcopo reſeruatũ, admiſerit, vel quia proximam, & domeſticam nolit euitare peccandi occaſionem, & alijs, non ei videbitur vlteriùs Confeſſio protrahenda, humaniter à ſe eundem pœnitentem dimittat: quod ipſum prȩſtabit, ſi animaduertat, debitam, in ſuorum peccatorum inveſtigatione, non eum adhibuiſſe diligentiam, neq; in illis deteſtandis, habere dolorem; tùnc enim omni charitate ipſum hortabitur, vt ad confitendum reuertatur, quãdò opportunè peccata ſua recogitauerit, & cȩtera adimpleuerit, quibus denuò audiri à Confeſſario mereatur.

c. 1. conſideréc diſt. de 5. Pœn.

§. 3. Et quia peritiſſimi Medici eſt, rectum iudicium ferre inter lepram, & lepram; diligenter Sacerdos intelligat, atq; inquirat peccati circumſtantias, & eas velmaximè, quæ peccatorum ſpeciem mutant, vt proindè ad delicti menſuram pœnitentiam ſalutarẽ imponere valeat.

Cõc. Trid. ſeſſ. 14 de ref. c. 8.

§. 4. Criminibus occultis, quantùmuis grauibus, & enormibus, pœnitentias publicas Confeſſarius non iniungat, neq; eas imponat, quas veriſimile fuerit, non eſſe adimplendas. Peccatores autem occultos, quos iuxta de cauſa abſoluere nequit, tanta circumſpectione à ſe dimittat

mittat

mittat, vt adſtantibus hoc non innoteſcat: ſed abſque confuſione diſcedentes, & æquiori animo repulſam tolerantes, delictorum ſuorum grauitatem horreſcant, ſeq; ad veniam poſtmodùm impetrandam, diſponant.

§. 5. Qui peccatum, in pœnitentiali iudicio ſibi proditũ, reuelare præſumpſerit, ijs ſubijciatur pœnis, à ſacris Canonibus, contra eum ſtatutis; & quia grauiſſimum ſacrilegium incurrit, non ſolùm à Sacerdotali officio deponendum, verùm etiam, ad agendam perpetuò pœnitentiam in arctum carcerem, detrudendum, decernimus.

c. dilectus. de exceſſ. Prǽlator.

c. omnis vtriuſq; ſexus de Pœnit. & remis.

§. 6. Stola ſemper, ac ſuperpelliceo vtantur, qui Pœnitentię Sacramentum fidelibus diſpenſant: niſi ſit breuis reconciliatio, aut alitèr neceſſitas ſuadeat; quod etiam ſeruetur, quantùm commodè fieri poteſt, in audiendis ægrotorum confeſſionibus.

§. 7. In priuatis ædibus, confeſſiones ægrotantium tantùm, audire liceat: infirmęque mulieres ità audiantur, vt omnis ſiniſtræ ſuſpicionis anſa arceatur.

§. 8. Nullus Confeſſarius Sacramẽtum Pœnitentiæ, ante ſolis ortum, vel pòſt occaſum, mulieribus miniſtrare prę́ſumat, niſi ſecùs ex cauſa faciendum ſit; ſemperq; confeſſiones mulierum

lierum, & puerorum à decimo quarto ætatis anno in Ecclesia, & in sede confessionali ad fenestellam, cratibus circumseptam excipiantur, pœna suspensionis, contrarium facientibus, indicta.

§. 9. Ratione officij confiteri volentibus aures prebere obstricti, siuè in animarum cura principales sint, siuè Curati vices gerant, vbicumq; ad Sacramentum Pœnitentię ministrandum, vocati fuerint, promptos se se, vt Ministros Christi decet exhibeant, qui si accersiti ad Ecclesiam conuenire, & Confessarij muneri vacare, recusauerint; pœnam suspensionis ipso facto, excepta necessitatis causa, incurrant cuius absolutionem, pro prima tantùm vice à Vicarijs nostris foraneis accipere valeant reseruata postmòdum Nobis absoluendi facultate, si eodem anno pluriès in eumdem errorem labantur.

§. 10. Sacerdotes, ad confessionem audiendam vocati, caueant in primis, ne turpi aliqua cupiditate, aut vana curiositate apud Deum notentur, quod, vt faciliùs euitare valeant, numquàm sibi, aut proprijs Ecclesijs satisfactionem pecuniariam iniungant, aut elemosynam distribuendam sibi committi, curent, aut commissam suscipiant.

Reform. Cler. Germani c. 9.

§. 11.

§. 11. In confeſſione verò infirmorum, Parochum ſtatìm de Sacramento, eiſdem infirmis diſpenſato, quilibet Sacerdos, etiam Regularis, certiorem faciat; nec vllus cum illis, in ipſa Pœnitentiæ diſpẽſatione, de ſepulturę electione negocium habere, aut res ſęculi, vel ſpõſalia interſerere audeat. Indignum eſt enim, vt quę ſunt mundi, ab eis promoueantur, quibus expurgandæ à vitijs conſcientiæ ſpecialis cura in Domino incumbit, & propter miniſterij excellentiam, Patrum nomen, non Conſiliariorum officium, ſortiti ſunt.

§. 12. Qui aliquandò Beneficium curatum obtinuit, & eo per reſignationem ſe ſe ſpoliauit, ad confeſsiones audiendas deincèps non cenſeatur expoſitus; niſi aliàs Nobis videatur, & tùnc facultatem confitendi manu noſtra ſubſcriptam obtineat.

§. 13. Regulares autem ad Confeſſiones non admittantur, neque examini ſubijciantur abſq; ſuorum Superiorum licentia, præſenti decreto tàm eis, quàm alijs Sacerdotibus mandantes, vt nullum pœnitentem à Caſibus infra notatis (quorum abſolutionem Nobis reſeruamus) abſoluere audeant, præter mortis articulum ſine noſtra ſpeciali licentia. Vrb. VIII. conſt. 92. Bullar. t. 3. Cõc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. & can. 11 de Sac. Pœnit.

§. 14. Et quoniam qui totis animis conuer-

tuntur

tuntur ad Dominum, non veſtimenta (vt ait Diuinus Vates) ſed corda ſcindere debent; doceant Parochi, veram cordis ſciſſionẽ contritionem illã eſſe, quę & peccatorũ deteſtationi, cum propoſito nõ peccandi de cęterò iungitur, & vehementiſſimum dolorem excitat, propter offenſam Deo factam, qui cum ſit ſummè bonus, maximè, & ſuper omnia eſt diligendus. Hortẽtur etiam Paſtores oues ſuas, vt dum aliqua lethali culpa ſe ſentiunt inquinatas, ad Pœnitẽtiæ Sacramentum ſtatim confugiant; ne exemplo illius diuitis, temporalia tantùm cogitantis in infernum nocte ipſa deſcendant.

Cõc. Trid. ſeſſ. 14. de Sacr Pœnit. c. 4.

§. 15. Parentes etiã filios ſuos à teneris annis ad Confeſsionem alliciant, & exemplo magis, quàm verbis huic ſalubri Sacramẽto aſſuefacere, conentur; Quo enim ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem teſta diù.

§. 16. In Confeſſionalibus ſedibus, nitidè, & benè compoſitis Bullę Cænæ Domini ſummarium, & Caſuum nobis reſeruatorum, cathalogus ſemper habeantur, & à parte pœnitentis imago Crucifixi Domini noſtri appẽdatur. Ipſa verò Confeſſionalia loco patenti in Eccleſia conſtituantur, vt ab omnibus videri queant.

Cõc. Med. 1. tit. Quę pert. ad ſacra Pœn.

§. 17. Qui Pœnitentię Sacramẽtum fidelibus miniſtrant, memoriæ perfectè mandare, ac man-

§. 1.

datas diſtinctè proferre preces illas non grauentur, quas Sacramenti formę Catholica addidit Eccleſia: licèt enim non ſint de neceſſitate Sacramenti, non tamen, aut malè pronunciandę ſunt, aut mutilandę, quod ſi ex compoſito fieret, non omni culpa Confeſſarius iſte vacaret.

§. 18. Deniquè hortamur in Domino Confeſſarios omnes, vt diligenter perpendant, ad quod, & quale munus vocati ſint, & quam Perſonam in huiuſmodi Sacramenti miniſterio repręſentent; ſic enim fiet, vt & ſuę, & Pœnitentium animarum ſaluti seriò, & optimè conſultum velint.

Caſus Reſeruati Eminentiſs. & Reuerendiſs. D.

CARDINALI BICHIO,

Epiſc. Auxim. in Synodo, à ſe habita.

1. Sacramentorum, Sacramentalium, & ſacrarũ Reliquiarum abuſus ad maleficia, vel ſortilegia, cum inuocatione Dęmonum expreſſa, vel tacita.
2. Homicidę voluntarij, vel facientes abortũ ex induſtria, aut filios ſuffocantes, & omnis cooperatio ad illa.

3. Blasphemia hæreticalis, quandò Blasphemans scit, esse hæreticalem.
4. Bestialitas, & nefandum Sodomię crimen consummatum Masculi cum Masculo, & Masculi cum fœmina, quò ad Masculos tantùm, expletis annis pubertatis.
5. Incestuosi ex affinitate quacumque in primo gradu, ex consanguinitate etiam in secundo.
6. Parentum Percussores.
7. Actus inhonesti, sermones turpes, vel amatorij cum Monalibus, eisdemq; mittere, vel dare literas amatorias, & mittere, vel dare eis libros lasciuos, etiam manuscriptos.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

CAP. XI.

D. Paul. Epist. ad Ephes. c. 6.

CVm non sit nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Rectores mundi tenebrarum harum: cumquè nullo tempore humani generis hostes vehementius neruos suos intendant, ad eripiendam nobis Diuinæ misericordiæ spem, quàm vbi in supremo vitę discrimine nos versari, animaduer-

uertunt; Idcircò pientissimus Deus, etiam in illo temporis puncto, arma, & vires, Sacramentum videlicet Extremę Vnctionis suppeditare dignatus est, cuius virtute aduersarij impetum frangere, & valentissimos ictus fortiter retundere valeamus. Explicent igitur, & tempore opportuno Pastores exponant huiusmodi mysterij Diuinam institutionem, & efficaciam: curent, vt non solùm ęgroti, in imminenti periculo constituti, sibi illud ministrari petant; sed magna fide, nec minori fiducia, ac reuerentia suscipiant: extra casum necessitatis sacro Oleo infirmos non liniant: diligentèrq; obseruent, quæ à Rituali Romano de eius cæremonijs pręscribuntur. Sacri Olei vasculum in bursa oloserica ad huiusmodi vsum, & funiculis, ab eorum collo pendentibus, deferant, etiam cum santissimo Eucharistiæ Sacramento, si ægrotantis salus ità periclitetur, vt post sacrum Viaticum se inungi flagitet, vel inexploratæ mortis suadeat timor: omnemq; operam nauent, vt illo potissimùm tempore ægri vngantur, cum in eis adhuc mens, & ratiò viget: hoc enim plurimum valet ad vberiorem Sacramenti gratiam percipiendam.

S Marc. c. 6.

Eug. 4. in litera vt. Cõc. Flor. sess vltim. Cõc. Trid. sess. 14. c. 3. de Sacra Extr. Vnct.

§. 1. Sacrum Vnctionis Sacramentum non reponatur simùl cum cęteris sacris Oleis; sed

seorsum in Ecclesia loco tuto,decenti, ac clauso, atq; ab omni immunditia purgato seruetur.

§. 2. Ad sacrum hoc ministerium Parochi etiam in nocte se paratos exhibeant : siquè post sacram Vnctionem inrfimus animam ageret , non discedant , sed officium charitatis impleant, etiam in jis, quæ ad animæ pertinent commendationem.

De Sacramento Ordinis.
C A P. XII.

TAnta est Sacramenti Ordinis dignitas , tantaq; eminentia , vt non solùm sine illo cętera Sacramenta partìm confici, & administrari nullo modo queant, partìm solemni cęremonia , & Religioso quodam cultu carere, videantur : sed si duplex, quæ in eo per manus impositionem confertur potestas,diligentissimè consideretur ; parum est , Episcopos , & Sacerdotes omnes Interpretes Dei summi , & Internuncios nominari ; cum & Angelorum , & cęlestium Numinum titulis ab ipsomet summo Sacerdote Christo aliquandò condecorentur , eisq; Regni sui claues demandatæ sint , vt ante iudicij diem ligare possint , & soluere, claudere, & aperire.

§. 1.

§. 1. Vt igitur de ijs, qui per manus nostras ad Sacerdotalem gradum promouentur, Dei adspirante gratia, dici possit. Vos genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta, & populus acquisitionis, hortamur in Domino omnes, ad tantam dignitatem euehi cupientes, vt non honorum splendore, non victus ratione, non diuitiarum cupiditate, quod maximum sacrilegium esset, ad Altare ascendere, & sacris initiari concupiscant; sed vt Deo deuotum famulatum præstent, & Domini gloriam in omnibus quærant, vt offerentes postmodùm sacrificia pro peccatis, virtutem eius annuncient, qui de tenebris eos vocauit in admirabile lumen suum, & Regnum.

1. Petr. 2.

D. Paul. Epist. ad Hebr. 5.

§. 2. Elaborent etiã Parochi, suarum Ecclesiarum pueros, qui optimæ indolis speciem præseferunt, & præcipuè pauperes, in Domino didirigere, & bonis moribus, ac Ecclesiasticis functionibus, & disciplinæ instruere; vt à Nobis adiuuari mereantur, vel eos in Seminarij Collegium collocando, vel alitèr illorum vtilitati consulendo.

§. 3. Expositum ad valuas Cathedralis edictum, de Ordinatione habenda, ijdem Parochi, tàm Vrbani, quàm Diœcesani inter Missarum solemnia populo promulgent, eumq; hortentur,

ad

ad pias Deo preces offerēdas, vt digni in vinea Domni Sabaoth operarij à Nobis assumantur.

Cōc.Trid. sess. 23. c. 3. de Ref. § 4. Pro accipiendis Ordinibus extra nostram Diœcesim, nulli dimissoriales literæ concedantur; nisi ex causa necessaria, & Ordinando priùs diligenter examinato, & approbato,

Cōc.Trid. sess. 21. c. 1. de Ref. §. 5. Familiares, & Ministros nostros, aliquid ab Ordinandis accipere sub excommunicationis interminatione, prohibemus, & eamdē excommunicationē incurrat Cancellarius Episcopalis Curiæ, si quid pro Ordinis documento exegerit, aut plùs eo, quod à S. Conc. Trid. & in Tabella mercedum à Nobis præfinitum est, accipere præsumpserit. Ibid. vers. Notarius.

Cōc.Trid. sess. 23. c. 8. de Ref. §. 6. Vt verò maiori solemnitate, ac reuerentia Sacramentum hoc administrari valeat, habeantur semper Ordinationes in Ecclesia Cathedrali, Canonicis, & vniuerso Clero præsentibus: si autem in Diœcesi aliquandò essent celebrandæ, eius Ecclesiæ Clerus, in qua Sacramētum ab Episcopo dispensatur, adesse teneatur.

§. 7. Et quia in Ordinū collatione obseruari volumus, quæcumque ab eodem S. Conc. Trid. sapientèr admodùm præscripta sunt: Synodali decreto præcipimus, vt omnes, qui minoribus, vel sacris Ordinibus initiari desiderant, in nostra Aurimana Ciuitate feria V. eius hebdomadæ,

madæ, in quam ſacra incidit ordinatio, conueniant. Et ad primam Tonſuram promouendi, teſtimoniales literas deferant de ſuis natalibus, de Confirmatione ſuſcepta, quòd Sanctiſſimã Communionem,& Chriſtianam Doctrinam frequentent, & fidei rudimenta calleant, quòd legere, & ſcribere non ignorent: & Parochi itèm, & ludi magiſtri teſtimonio eorum vitæ,ac morum integritas Nobis commendetur.

c. quando diſt. 4. c. acceden. de purgat. Canon. Cõc. Trid. ſeſſ 23. c. 5. de Ref. Cõc. Aug. c. 5. c. fin. de Temp. ord. in 6. Cõc. Rau. 2. ſub. Cle. V. c. 24.

§. 8. Si verò, ad primam Tonſuram Ordinandus, alienæ ſit Diœceſis; Ordinarij ſui literas Dimiſſoriales exhibeat, quæ trium menſium decurſum non excedant.

Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 8. de Ref.

§. 9. Nullus etiam ad Maiores Ordines promoueatur; niſi Parochi, aut Curati ſcripta fide conſtiterit, in ea ſe Eccleſia prioris ordinis munere functum eſſe, cuius ſeruitio fuera mancipatus.

Cõc. Trid. c. 1. de Ref.

§. 10. Ad Maiores autem Ordines, & Subdiaconatus precipuè promouendi, diligenter priùs perpendant, cui vitæ rationi ſe ſe ſubijciant, & quam morum probitatem,& vitæ integritatem Sacer Ordo in eis deſideret: maximè, cum ipſo ſuſcepto, non ampliùs licuerit ad priora vota tranſire. Afferant teſtimonium proclamationum, in Eccleſia Parochiali factarum, legitimamq; ætatem in quolibet ordine recipiendo

Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 12. de Ref.

cipiendo

cipiendo probent. Habeant Ecclesiasticum Beneficium, ad cuius titulum ordinari debent, vel sufficiens patrimonium, ad vitæ sustentationem, & pręcipuè veniant literis instructi, atq; parati; certi, quòd nullatenùs admittentur à Nobis, nisi pręuio diligenti examine, pro cuiusque suscipiendi Ordinis exigentia. Et quia cum Ordine, vel etiam prima Tonsura, erunt omnes Sacra Communione reficiendi: ideò ad sumendam Eucharistiam præparati accedant.

Côc. Trid. sess. 21. c. 2 de Ref.

Côc. Col. 1. p. 1. c. 16.

§. 11. Nullo modo ad sacros Ordines per manus nostras promoueri pręsumat, qui absq; dispensatione, Ordinum interstitia non seruet, vel prauis moribus sit turbulentus, aut non liber, aut ex legitimo matrimonio nõ genitus, neque de hoc impedimento Apostolicę Sedis priuilegio dispẽsatus, quiuè sit percussor, Rixosus, Bigamus, Abstemius, non sanæ mentis, Simoniacus, homicida, excommunicantus, suspensus, aut interdictus, vel caduco morbo laborans, aut Vsurarius, Periurus, impudicus, ebrietati, vel gulæ deditus, aut quid simile: si corpore sit vitiatus, vel sanguinis sententiam protulerit, aut alijs criminalibus causis ità se immiscuerit, vt propterea Irregularis sit effectus.

§. 12. Qui verò ad titulum beneficij ordinari debent, eiusdem benificij habeant pacificam posses-

possessionem; Qui autem ad titulum patrimonij est ordinandus, nequaquàm illud exhibeat, ęre alieno grauatum; sed ipsum patrimonium esse debeat proprium, & reale; cuius fructus in nostra Diœcesi ad summā scutorum quadraginta, annuatìm liberè percipiendorum, ascendant. Cōc Trid. sess. 21. c. 2. de Ref.

§. 13. Et quia, in patrimonio costituendo, nonnullæ fraudes aliquandò perpetrari solent; tunc demùm donationes, ad eiusdem patrimonij constitutionem factas, excipi, ac pro ratis haberi, volumus; si de prędictis donationibus Notarius Episcopalis, vel alius, de nostra licentia, se se publicè rogauerit; & si debita, ac legitima fideiussione, de manutenēdo semper Ordinādo in patrimonij donati possessione, documenta Notarij vallata fuerint, & exhibeātur.

§. 14. Patrimonium verò, ad cuius titulum quis ordinatus fuerit, nulla causa distrhai, vel aliàs alienari possit, quousq; Ordinatus aliundè habeat, vndè ali commodè valeat; quod & Nobis cōnstet, & à Nobis licentiam obtineat; decernentes, alienationē, alitèr ac statuimus, factam, nullius esse, ac fore momenti, nulliusq; roboris.

§. 15. Si quis aùtem simulata donatione, vel ficto patrimonio promoueri obtinuerit: sit statim ipso iure suspensus, & grauioribus à Nobis Cōc. Later. 3. c. 5.

 puni-

puniendus pœnis; quam etiam suspensionem ipso iure incurrat, qui falsis testimonijs ostensis, vel examine non prçcedente, & sine nostra licentia, sacris Ordinibus fuerit initiatus.

c. ad aures de tempor. Ordin. §. 16. Regulares ad nullum Ordinem promoueãtur, nisi Superiorum suorum literas testimoniales attulerint, quç bimestri tempore non sint antiquiores.

§. 17. Peracta deniquè Ordinatione, fiat per Ecclesiam Processio, & Ordinati omnes concordi voce cum Hymno Te Deum Laudamus Deo gratias referant.

De Matrimonij Sacramento CAP. XIII.

Matrimonium, vt naturalẽ coniunctionem, ad propagandum genus humanum, in ipsis Mundi incunabulis à Domino institutum esse, omnibus certò liquet: Sed non omnes çquè comprçhendunt, Sacramenti dignitatem ob hoc illi in nouo Testamento tributam esse, vt populus ad veri Dei, & Saluatoris nostri Chisti cultum, & religionem procreetur, atquè in timore Domini probè educetur.

Eugen. IV. in decret. Vniõ. Armenor. in Cõc. Hor.

§. 1. Eos proindè, qui Matrimonij indissolubili

bili fœdere alteri iungi voluerint,graui ſermone Parochi admoneant, quomodò ſanctè illud contrahendum ſit, quomodò caſtè in eo,& piè viuendum,& quanta Vir, & Vxor inter ſe, charitate ſemper connexi,permanere debeant, Vir ſcilicet coniugem ſuam honorificè tractando, illa marito in omnibus, quę Chriſtianæ pietati non aduerſantur, obtemperando:curentq; prętereà, vt Sponſus, & Sponſa, ſaltèm triduo ante matrimonij conſummationem, Pœnitentiæ, & Euchariſtię Sacramentum deuotè ſuſcipiant, vt in ſemine filiorum ſuorum omnem benedictionem à Domino conſequi mereantur. Cōc.Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de Ref.

§. 2. In denuntiationibus faciendis, expectetur ſemper petitio, & conſenſus Sponſorum, tàm Viri,quàm Mulieris, nec ad aliorum inſtantiam, etiam parentum, & proximorum, vel curas eorum gerentium, matrimonia celebranda, publicentur.Immò Parochi ſponſos ipſos interrogent, an denunciationes fieri velint; ſeruatis in reliquo, quę à S. Conc. Trid. prudentiſſimè diſponuntur. Cōc.Trid. d. ſeſſ. 24. c. 9.

§. 3. Quòd sì alter ſponſorum alterius ſit Parochiæ, illos Parochus Matrimonio nō coniungat, quouſq; eiuſdem Parochiæ Curatus teſtimonium non exhibeat, de denunciationibus, à ſe factis, & quòd nullum extet impedimentū.

§. 4. Si verò alter Sponsorũ alienæ sit Diœcesis, exigatur, de denunciationibus factis, fides Parochi illius Diœcesis, legitimo Ordinarij testimonio roborata.

Cõc. Colon. 3. tit. Cẽsurę c. 32.

§. 5. Priusquàm Parochus matrimonia populo denunciet, præter ea, quæ, de Sponsorum expetendo consensu, statuta sunt, præcognoscat etiam, an ipsi met Sponsi aliquo consanguinitatis, affinitatis, aut spiritualis cognationis gradu, prohibeantur, docens eos, sic contrahentes excommunicationem latæ sententiæ inccurrere, & Matrimonium nullum esse: filios itèm, qui indè nascentur, incestuosos fore, & qui scienter id admiserint, ex Trid. Conc. dispositione, spe consequendę dispensationis perpetuò carere: Inquirat etiam Parochus, an Sponsi in legitima ætate sint cõstituti, & liberè, non vi, aut timore, matrimonium petant, & postremò, an Christianę Religionis fundamenta, Apostolorum Symbolo, Oratione Dominica, Salutatione Angelica, & decem legis præceptis comprehensa, sciant, aliter eos, ad contrahendum, non admittat.

sess. 24. c. 5.

c. attestationes de desponsal. Impub.

§. 6. Et die, quo vltima denunciatio proclamata est, numquàm Matrimonium contrahatur, nisi de nostra licentia, vèl nisi postrema denunciatio facta esset pridiè illius diei, qua

initium

initium est Quadragesimæ, vel Aduentus, aut nisi Parochus in præcedenti denunciatione populum monuisset, die vltimæ denunciationis Matrimonium esse celebrandum.

§. 7. Proposito inter dies denunciationum aliquo impedimento, etiam si falsum Parocho videatur, nec aliç denunciationes publicentur, nec Matrimonium celebretur, absq; nostra licentia speciali, c.inhibitio de despons. sat.

§. 8. Falsi impedimenti delatores, præter alias Iuris pœnas, etiam excommunicationem, Nobis reseruatam, incurrant; eidemq; excommunicationi subijciantur, qui directè, vel indirectè, iuxta S. Conc. Trid. dispositionem, Matrimonij libertati impedimentum dederit, aut veneficia, & fascinationes, ad impedienda Matrimonia, perpetrauerit. Qui verò sciens impedimentum, Matrimonij contrahendi, non reuelauerit, eamdem subeat excummunicationis sententiam. sess. 24. c. 9. de Ref.

§. 9. Si aliquandò, Nobis permittentibus, Matrimonium, omissis denunciationibus, celebretur, eædem denunciationes, post contractum Matrimonium; sed ante carnalem copulam, nisi alitèr iusserimus, fiant.

§. 10. Parochi sine nostra licentia, etiam vnam tantùm denunciationem omittentes, sus- Cōc Trid. sess. 24. c. 1. de Ref.

pensio-

pensionis sententiam ipso facto incurrant, absolutione Nobis reseruata.

§. 11. Completis publicationibus, si post duos menses Matrimonij celebratio differatur, noṽę fiant denunciationes.

§. 12. Detecto aliquo, Matrimonij contrahēdi, impedimēto, Sponsos grauioribus appositis pęnis Parochus admoneat, & quantùm potest, arceat, ne simul conuersentur, quòusq; dispensatione, à Sancta Sede Apostolica obtenta, ac precibus, iuxta dispositionis formam, coram Nobis verificatis, licentia Matrimonij celebrādi concedatur. Si verò, seruata S. Con. Trid. forma, post Matrimoniū contractum, aliquod impedimentum detegatur, prohibeatur omninò Sponsorum cohabitatio, donec ab ipsamet Sācta Sede super eo fuerit dispensatum.

Cōc. Trid. sess. 24. c. 5. de Ref. Matr.

§. 13. Vt nonnullorū effrenatæ libidini occurramus, qui pecudum more viuentes, & Diabolum dumtaxat præ oculis habentes, ad secundas Nuptias, etiam prima superstite Vxore, impudentèr transire audeant. Synodali pręcepto omnibus Parochis mandamus, ne vagātium, & ignotorum hominum Matrimonia, vel etiam eorū, qui per longum tempus absentes fuerint, sine nostra speciali facultate, admittant; tamètsi de suo statu libero, & soluto, literas testimoniales

Cōc. Trid. d. sess. 24. c. 7. de Ref.

les

les exhibeant, quarum validitatem recognoſcere, Nobis, & Vicario noſtro generali volumus, reſeruari.

§. 14. Cum filij familias in omnibus parentes ſuos honorare teneantur; ſi Parochus aliquem, inuitis parentibus, contrahere velle, deprehenderit, huiuſmodi matrimonio non aſſiſtat; ſed de ea re Nos certiores faciat, vt, quid ſit agendum, maturè deliberemus. Cōc. Magunt. c. 37.

§. 15. Qui alienæ Parochiæ ſponſos, abſque licentia proprij Curati, vel noſtra, iungere præſumpſerit, pœnæ ſuſpenſionis ipſo facto ſe addictum eſſe, iuxta S. Conc. Trid. decretum, ſciat. ſeſſ. 24. c. 1. de Ref.

§. 16. Eiuſdem S. Conc. decretum de Matrimonijs clādeſtinis Parochi aliquandò vulgari ſermone populo ſuo intiment, & præſertìm mulierculas doceant, quàm grauiter peccent, & quantùm ſibi noceant, clandeſtina Matrimonia contrahendo: Sæpiſſimè enim euenit, vt in promiſſionibus deceptæ, & gratiſſimum Deo Virginitatis florem deperdidiſſe nequicquàm lugeant, & omnibus poſtmodùm probro ſint, & opprobrio.

§. 17. Celebratio Matrimonij fiat ad præſcriptum S. Conc. & laudabiles conſuetudines; Nomina verò contrahentium in certum librum ordinatè à Parocho ſignentur, iuxta formam i tualis Romani. d. ſeſſ. 24. c. 1.

§. 18. A ſponſalibus, etiam per verba de futuro contractis, recedere, & ad alia vota tranſire, nemini liceat, niſi à Nobis petita, & obtenta ſponſalium diſſolutione, quam rationabili cauſa exiſtente, non denegabimus.

c. de illis de deſpon. ſat impub.

§. 19 Cupientes pro viribus omnibus ſcandalis, quæ contingere poſſunt, obuiam ire, atque animarum ſaluti conſulere, præſenti conſtitutione ſancimus, Sponſos, & Sponſas ſimul in figura Matrimonij conuerſationem aliquam habere non poſſe, niſi poſt quàm, Eccleſiæ ſolemnitatibus adhibitis, Matrimonium per verba de præſenti legitimè contraxerint: Quinimmò Sponſi ante celebrationem inuicem, abſque domeſticorum præſentia conuerſantes, decem aureorum pœnam luant, & hoc totiès, quoties.

Cõc. Trid. d. ſeſſ. 24. eod. c. 1. de Ref.

§. 20. Separatio coniugum, ſiuè diuortium, quoàd torum, vel cohabitationem, ad certum, vel incertum tempus, numquàm concedatur, niſi ex grauiſſimis cauſis, à Nobis, aut Vicario noſtro cognoſcendis, & approbandis.

Cõc. Trid. d. ſeſſ. 24. can. 8. de Sacr. Matrim.

§. 21. Curatis poſtremò, ac Sacerdotibus omnibus præcipimus, vt ſi qui coniugati abſque legitima cauſa, à Nobis cognita, & approbata, ſimùl non cohabitent, ſed ſeparatìm viuant, illos ad Confeſſionis, & Communionis Sacramenta minimè admittant.

Sixt. V. conſt. 46. Bul. tom. 2.

De

De Sacrosanctis Ecclesijs, & Sacris locis
CAP. XIV.

IN eam incidimus morum turpitudinem, & deprauationem, vt aliquandò superędificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, maiori honore, modestia, & veneratione sęcularium Principum Aulas, quin & grauiorum: aut nobilium Virorum Aedes prosequantur, quàm Domum eius, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium. D. Paul. Epist. ad Ephes. c. 2.

§. 1. Cum itaque Sanctuarium Dei maximè sit metuendum, summaque reuerentia longè dignissimum; omnes fideles nostros seriò, & quàm grauissimè possumus, hortamur, ac monemus, vt Domum Domini ingredientes, adorent ad Templum sanctum suum in timore eius; ne Zelo habitaculi sui commotus Deus, non beneficia, sed flagella præparet, & profanatores eijciat in opprobrium sempiternum. c. mos. antiquo dist. 61.

§. 2. In Ecclesijs autèm, præcipuè quandò sacra peraguntur officia, vel Concio habetur, nullus audeat deambulare, nugari nullus, aut Côc. Tur. 3. c. 38. & 39.

 nego-

Pius V. cōst. 5. Bullar. tom. 2. negociari: & ante ipsas Ecclesias, ad quinquaginta pedum mensuram, nec pilæ, nec alearum ludi exerceantur, nec alia huiusmodi fiant, quorum strepitu, ac vociferatione sacra mysteria perturbentur. Quinimmò præ foribus ipsius Ecclesiæ res venales apponi, etiam Nundinarum tempore, interdicimus, nec in Cappellis, seù Oratorijs ludum literarium institui volumus.

Conc. mediol. 1. p. 2. tit. de offic. Sacr. §. 3. Præcipua Sacristæ cura sit, Tabellam in Sacristia appendere, in qua omnes Missæ, funeralia, & cætera officia, quæ per anni circulum ex piorum hominum legatis, aliauè de causa celebrari debent, annotentur: itèm vas aquarium ad manus lauandas, & suis linteolis abstergendas parare: Aquam benedictam semèl in Hebdomada renouare; Ecclesiam expurgare; hora congrua signum Matutini dare, & Missarum celebrationem omnibus horis, ad fidelium pietatem excitandam disponere: munditiam, & nitorem in sacra suppellectili, & præsertìm in Alba, amictu, & corporalibus adhibere: Calices quandoquè abluere, & expolire: canum cursitationes, & latratus per Ecclesiam prohibere; mendicantes, ne per Ecclesiam, ad petendam eleemosynam vagentur, impedire, iuxta Pij V. sanctissimæ memoriæ Con- d. const. 5. stitutionem; Altaria sacris expletis, tela obnubere,

bere; & in cæteris ita se gerere, vt de Deo, & de Nobis etiam benemereri possit.

§. 4. Nemini liceat cum canibus venaticis, & alijs eiusmodi bestijs, aquæ ad vsum domesticum vasculis, tabula panis, aut lignorum fascibus, Templum Domini ingredi, vel aliquo modo præterire, nec Altaribus, Baptisterio, aut Pilæ aquæ benedictæ inniti, & super ijsdem Altaribus pileos reponere; hæc enim magnam sapiunt irreuerentiam, quibus etiam Deus quandoquè ad iracundiam commouetur. Conc. mediol. 1. p. 2. tit. de Eccl.

§. 5. Publicos luctus, & lugubres lamentationes ad Defunctorũ corpora in Ecclesijs agi, inhibemus: sed orationibus potius, & eleemosynis satagant parentes, aut cognati mortuorũ animas à purgatorij pœnis, si quas patiantur, releuare.

§. 6. Absque nostra licentia, nulla Ecclesia de nouo ædificetur, aut vetus destruatur; & in Oratorijs priuatis, sacellis, & nouis Aris erigendis, noster semper expectetur consensus. Volumus etenim, vt quò ad dotem, & sacram suppellectilem, ad decentem celebrationem comparandam, omnia seruentur, quæ à Sacris Canonibus præscribuntur. c. nemo Ecclesiam, c. Ecclesię, vel Altaria & c. placuit. dist. 1. de cons.

§. 7. Habeant Altaria omnia sua ornamenta, vt Crucem, Candelabra, tobaleas, & cætera,

tera, ad præscriptum Visitationis: & nisi sint sub ipso fornice collocata, habeant, vel vmbellam, vel tegumentum, quo, & ipsa, & celebrãtes ab omnibus Tecti sordibus protegantur; nullęque in eis circumspiciantur vel fenestrę vel concauitates, ad aliquid recondendum; nisi fortè ad sacrarum spectent conseruationem Reliquiarum. In Oratorijs autèm in via positis, Altaria non erigantur, & si aliqua adsint, destrui, mandamus.

§. 8. Omni semper munditia niteant Ecclesiarum parietes, Sacellorum superficies, & quęcumque Ecclesię ministerio sunt dicata; nec vllibi exponantur ad eleemosynas colligendas capsulę, sine nostra, vel Vicarij nostri licentia.

§. 9. Suppellex profana, vel quid aliud, quod profanum sapiat, numquàm in Ecclesijs, aut Oratorijs custodiatur; neminique sit permissum, defunctorum corpora infra Ecclesię pauimentum sepelire, cuiusuis gradus, & conditionis existant, sine nostro consensu, in scriptis impetrato.

Conc. Lateran. 4. c. 19.

§. 10. Ecclesiarum dirutarum materia, hoc est, cęmenta, lapides, tigna, & alia, ad aliquem profanum vsum non transferantur, nisi de nostra licentia; & pecunię, quę inde proueniunt, in Ecclesię tantum vtilitatem, erogentur.

c. ad hæc. de Relig. domib.

§. 11.

§. 11. Animarũ Curati, nullo modo pernoctationes in suis Ecclesijs fieri, patiantur: & post vespertinum Salutationis Angelicę signum, fores ità claudantur, vt nullus alius, nisi Sacerdos in eas adimittatur, nocte Natiuitatis Domini excepta. Immò, ne loca, Deo dicata, hominum iniquitatibus pateant, diuinis absolutis Officijs Ecclesiarum portę semper obserentur, quandò aliud ad excitandam pietatem nõ videbitur opportunum. Conc. Mediol. 1 p. 2 tit. de off. custod. & tit. de Eccles.

§. 12. Eadem munditia, & nitore refulgeat, volumus, locus, in quo Vasa Domini, & sacra suppellex asseruatur. Quarè omnibus Ecclesiarum Rectoribus pręcipimus, vt nulli Sacristiam, ad habitationis vsum deinceps accommodent, aut in ea cibos sumi permittant, sub pœnis ad arbitriũ nostrum, si contrà factum fuerit. Cõc. Cart. c. 30.

§. 13. Quoniàm verò omnia, quę ad cædis cognitionem pertinent, à sacrosanctis locis sunt reijcienda; numquàm in Ecclesijs, sed extra eas occisorum cadauera, Nobis tamèn permittentibus, à Curia sęculari inspiciantur, & si iàm condita fuerint, nullatènus exhumẽtur. Cõnc. Mediol. vbi supra

§. 14. Irrepsit etiam inter Ecclesiasticas personas tàm indecens vsus, vt non solùm eo tempore, quo canitur in Ecclesia ante sedem Dei, & Agni, puluerem quamdam, vulgò, Tabacũ attrahere Vrb. VIII. const. 84. Bul. t. 3 in Append.

attrahere non erubescant: quin',& quandoquè naribus eodem puluere sordidis,ad immolandũ Domino accedere. Pręcipimus igitur omnibus, tàm Clericis, quàm Sacerdotali dignitate præfulgentibus, sub pœnis ad arbitrium nostrum, vt dum diuina Officia in Cathedrali, Collegiatis, & alijs Ecclesijs celebrantur, ab huiusmodi pulueris sumptione sibi caueant; & suspensionis interdicto mulctari eos Sacerdotes volumus, qui ante sacrificium Missę eodem Tabaco se se in Sacristia commaculauerint.

§. 15. In qualibet Sacristia habeatur Oratorium cum imagine Sanctissimi Crucifixi, & genuflexorio, vbi Sacerdos ante, & post Missam orationi aliquantulùm incumbere possit, & in ipso affigatur etiam Tabella cum suis precibus, ad Missę præparationem.

conc. mediol. 1. p. 2. tit. de Eccles.

§. 16. Campanas Ecclesiarum ad vsus profanos, veluti ad conuocandum populum, ad spectacula, ad reorum supplicia, & alia huiusmodi, omninò adhiberi prohibemus. In omnibus verò Diœcesis nostræ locis, ter quacumq; die signum detur Angelicę Salutationis; nimirùm in Aurora, ad meridiem, & post solis occasum. Circa verò primã horã noctis, oratio indicatur pro fidelibus Defunctis, plurimùmq; Parochis cõmendamus illius vsus introductionem

scilicet,

ſcilicet, vt hora diei vigeſima ſecunda Campanæ ſigno populus Chriſtianus inuitetur, ad preces Deo offerendas pro ijs, qui, in agonia poſiti, animam agunt.

§.17. In ſummitate cuiuslibet Campanilis apponatur ſignum ſanctæ Crucis; idemque Campanile ianua lignea, cum ſera firma, peſſulo, & claui clauſum maneat; ne, poſt ſonitum Campanarum expletum, profana, aut immunda in eo committantur.

§. 18. Ad eleuationẽ in maiori Miſſa Corporis Chriſti, in Cathedrali, Collegiatis, & Parochialibus Eccleſijs, Campanæ ſignum detur, vt fideles, qui ſacrificio non interſunt, tamen adorent, & Paſſionem Domini tunc temporis memoria reuoluentes, gratias Deo pro tàm ſingulari beneficio deuotè referant.

§. 19. Quod reliquum eſt, ante ipſas Eccleſias, præſertim quandò Sanctiſſimæ Euchariſtię Sacramentum publice adoratur, nullus Circulator audeat populi cętum diſtinere, aut fabulis, & præſtigijs ſuis oblectare, ſub pænis ad arbitrium noſtrum, idemq; ſeruetur, vbi Officia diuina recitantur. Conc. Senonen. in Decr. morum, c. 16.

De

De Bonis Ecclesiæ non alienandis, & Legatis pijs.
C A P. XV.

PArùm esset, Ecclesiarum ornamento, ac decori laudabilibus, & iustis Sanctionibus consuluisse; nisi etiam illarum vtilitati, atque bonis pari cura, ac sollicitudine prospiceretur.

§. 1. Vt igitur, & in hoc quoque partes nostræ non desiderentur; Interdicimus omnibus Beneficiatis, quocumque titulo, ac nomine censeantur, ne locare, siue in Emphyteusim concedere præsumant bona suorum Beneficiorum ipsis Patronis, à quibus ea acceperunt; nequè illis, per quorum resignationem Beneficia obtinuerunt, neque ijs, qui primo, vel secundo consanguinitatis, aut affinitatis gradu, sibi iunguntur, absque nostra in scriptis licentia, quæ de ipsis consanguineis, seù Patronis expresè mentionem faciat. Alioquìn contractus nulli sint; & locatores pœnam subeant amissionis fructuum vnius anni eiusdem Beneficij, cuius bona hoc modo fuerunt locata. Administratores verò bonorum Ecclesiasticorum, hospitalium, & aliorum piorum locorum, si per se, vel per alios

Vrb. VIII. const. 51. Bull. t. 3.

suo

ſuo nomine bona prædicta conduxerint, vel titulo locationis acceperint, ab adminiſtratione illicò remoueantur,& præthereà huiuſmodi contractus nullos, & irritos eſſe, declaramus.

§. 2. Arbores fructiferas bonorum Eccleſiaſticorum cedere, ſiuè eas, vt vulgò dicitur, *Scappecciare*, nulli permittatur, abſque noſtra licentia, in ſcriptis obtinenda, ſub pœna decem aureorum, & alijs, arbitrio noſtro reſeruatis, vltra damni reparationem.

§. 3. Nemo eſt, qui neſciat, quot excommunicationum vinculis obnoxium ſe faciat, qui legata, pijs locis relicta, aut ſoluere, aut tempore opportuno denunciare, recuſet. Terminus ergò, à iure, vel ab homine, ad ſoluenda, ſeu manifeſtanda huiuſmodi legata, præfixus, non prorogetur; ne cum ipſius Eccleſiæ detrimento, etiam illorum anima periclitetur. c. Clerici, vel ſæculares 13.q.2.

§. 4. Curati, & Notarij infra menſem, à Teſtatoris obitu, legata pia, Nobis, vel Vicario noſtro generali, aut Vicarijs foraneis, vel Eccleſiæ Rectori, cui relicta ſunt, denunciare teneantur, ſub pœna excommunicationis. Nobis reſeruatæ, ipſo facto incurrenda. Conc.Regiatic. 15.

§. 5. Et nemo, ſub eadem excommunicationis pœna, impedimentum ponere audeat piorum legatorum diſpoſitionibus, ad quæ fa-

cienda inclinat Testatoris voluntas; Vtquè hanc nostram synodalem Constitutionem nullus, sub ignorantiæ pretextu, aut quouis alio quæsito colore, effugere valeat, singulis annis, inter Missarum solemnia, in die Sancto Epiphaniæ, volumus à Parochis omnibus publicari.

Cōc.Trid. sess. 22. c. 11. de Ref.

§. 6. Qui verò scripturas, aut documenta, ad Ecclesias, & pia loca spectantia, occultare, supprimere, lacerare, vel negare præsūpserit, excōmunicationis sententiam, vti suprà, incurrat.

Cōc.Med. 1. p. 2. tit. quæ pert. ad bonorū &c.

§. 7. Vt autèm bona Ecclesiastica, aliorumq; piorum locorum perpetuò conseruari, & ab omni fraudolenta alienatione liberari possint, &, si quandòque ea distrahi, vel alienari contingat, vendicari, & Ecclesiæ restitui; Synodali præcepto decernimus, vt tàm Clerici Beneficiati, quàm quarumcumq; Ecclesiarum Rectores, & Curati, necnon piorum locorum Administratores, conficere teneantur Inuentaria bonorum omnium, mobilium, & stabilium; in quibus vasa omnia sacra, vestes, suppellectilia, & quæcumque alia: Item fundos, agros, domos, census, redditus, iura, actiones, ac cætera, cum suis confinibus, qualitatibus, vocabulis, documentis, locationibus, fideiussionibus, conditionibus, & responsionibus, diligenti ordine, describant. Quæ Inuentaria, iu-

ramento

ramento roborata, infra ſex menſes, ab huiuſmodi Decreti publicatione, Cancellario noſtro exhibeantur, & conſignentur; vt in Archiuio Epiſcopali æternùm cuſtodiri valeant, rogante ſe ſemper Cancellario in libro, ad hoc parato, de eorum receptione.

§. 8. Habita à Vicario foraneo alicuius Eccleſiæ Parochialis vacationis notitia, ad eam ſtatim ſe conferat, ibiq; coram dictę Parochię probis viris, inuentarium conficiat omnium rerum, & ſcripturarum, ad eamdem Eccleſiam pertinentium, neminiq; bona illa tradat, abſq; noſtra peculiari licentia in ſcriptis exhibita.

§. 9. Interim verò, ſub pœna excomunicationis latæ Sententię, à qua nullus, niſi facta reſtitutione, abſolui poſſit, prohibemus; ne illius Eccleſiæ vacantis ſuppellectilia, aliamuè rem vllam quiſpiam aſportet, aut aſportatam detineat; ſed omnia Succeſſori maneant reſeruanda. Conc. Lat. ſub. Leon. X. ſeſſ. 9. & 10.

§. 10. Inuentaria à Clericis Beneficiatis, & piorum locorum Adminiſtratoribus, vti ſupra, facienda, non à Cataſtis, ſiuè antiquis monumentis, excipiantur, ſed de nouo fiant; vt ſic termini, atq; confinia ſtabilium recognoſcãtur, & Eccleſię poſſeſſio nullo tempore in dubium reuocari poſſit.

§. 11. Qui bona, quocumquè titulo ad Ecclesiam spectantia, aliqua ratione, vel vsurpare, vel quomodolibet in proprios vsus conuertere præsumpserit, seù impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur, Anathemati (vt verbis S. Conc. Trid. vtamur) tamdiù subiaceat, quam diù in integrum res Ecclesiastica restituatur; & si Clericus tàm nefandæ fraudis, & sacrilegæ detentionis, vel fabricator, vel consentiens fuerit, vltra eamdem Excommunicationis pœnam, etiam suspensione, & beneficij, siquod habuerit, priuatione mulctetur.

sess. 22. c. 11. de Ref.

§. 12. Qui bona Ecclesiastica vltra triennium, absq; Sedis Apostolicæ beneplacito, locare ausus fuerit, pœnas incurrat, à sacris Canonibus constitutas.

De Horis Canonicis, in Choro recitandis, & Ecclesiæ Cæremonijs. CAP. XVI.

NOn est, cur Cathedralis nostræ Canonicos excitare Nos oporteat, ad diuinã Psalmodiam deuotè recitandam; ipsos enim omni pietatis studio munere suo defungi, non sine ingenti cõsolatione nostra, & animi gaudio coràm videmus.

§. 1.

§. 1. Vt tamèn in hoc laudabili opere debito incremento perseuerent, tàm eos, quàm cęteros Collegiatarũ nostrarum Canonicos hortamur;cum se choralibus indumẽtis ornauerint, vbiq; à verbis scurrilibus, & inhonestis iocis, alijsq; ociosis sermonibus abstineant, & in ipsa diuini Officij recitatione, mentem ab omnibus curis, & perturbationibus abstrahant, considerantes,& loci maiestatẽ, & ad quale munus Dei benignitate sint promoti: status corporis sanctitati Ecclesiæ respondeat: concordi voce, & distincta laudes Deo canant: pro temporis, & Officij ratione ,atq; etiam in Missis, & alijs Ecclesiasticis functionibus sacros Cęremoniarum ritus ad Cæremonialis Romani, numpèr ab Innocentio X. editi,præscriptum,integrè seruent: & post Officij absolutionem paulispèr flexis genibus Deo preces effundant,vt negligentias, in recitatione commissas, eis misericorditer condonet.

Conc.Colon. 2 p. 3. c. 6.

Cõc.Trid. sess. 24. c. 12.de Ref.

§. 2. Signo Campanulæ dato, cuius horam à Constitutionibus Capitularibus iàm præscriptam, in longum trahere, aut alitèr quomodocumquè mutare, nemini liceat: singuli ad Ecclesiam, & Chorum accedant, veste talari semper induti: magna enim populo scandali præbetur occasio, si per vicos, & plateas tempore

diuini

diuini Officij recitandi vagentur, qui ex integro Horis Canonicis interesse debent.

Côc Trid. d. c. 12.

§. 3. Veste etiam talari tùm Canonici, tùm alij Clerici in omnibus alijs Ecclesiasticis functionibus vtantur, sub pœnis ad arbitrium nostrum.

Conc. Mediol. 1. p. 2. Tit. de off. Pun.

§. 4. Punctatores in Ecclesia nostra Cathedrali duos eligi, volumus, à Capitulo vnum, à Nobis alterum: qui antequàm officium aggrediantur, iuramentum præstent in manibus nostris, vel nostri Vicarij generalis, de integrè munere suo adimplendo, & fidelitèr punctando, iuxta formam præscriptam: Et quò ad distributiones, vel sibi inuicem donandas, aut remittendas, quod vtrumq; prohibitum est: S. Conc. Trid. decretum seruari, mandamus. Punctationum verò libros diligenter custodiant, eosq; singulis mensibus Nobis, & Capitulo ostẽdant, vel sępiùs etiam, si Nobis videbitur, & Canonici postulauerint. Mansionarios etiam, æquè ac Canonicos in libro, à primo seiuncto, punctare teneantur.

sess. 24. c. 12. de Ref

§. 5. In Collegiatis vnus tantùm punctator eligi poterit; omniumq; punctatorum officium vnius anni spatium non excedat, vel breuius etiam sit, iuxta Ecclesiarum statum, & consuetudines.

§. 6. Vt verò populorum commoditati circa

Missarum

Missarum celebrationem in nostra Cathedrali Ecclesia consulatur: Prefecto Chori in ipsa diuini officij recitatione facultas sit, eos Canonicos ad sacrũ dicendum, conficiendumq; monere, & compellere, vnũ scilicèt, post alium, qui vel ex obligatione celebrare tenentur, aut sacratissimam Hostiam ex deuotione velint immolare: decernentes, huiusmodi Canonicos sic celebrantes, pro præsentibus in Choro habendos esse, ac distributionibus tùnc temporis non priuandos. Hortamur tamèn omnes, vt peracto Missę sacrificio, ad officia diuina reuertãtur: ne ad alia negocia animũ intendentibus, nostra dispensatio in eorum animę exitiũ conuertatur.

§. 7. Ratione Ordinis, siuè Beneficij diuinum Officium recitare tenentes, illud integrum ad prescriptam Breuiarij Romani formã, exoluant; nec alios ritus sub quouis pretextu, quàm in eodem Breuiario annotatos, obseruent, ne secùs agentes oneri suo minimè satisfaciant, pœnasuè in Bulla Pij V. appositas, incurrant; Priuatìm verò Clerici Officium recitantes, non in actibus exterioribus, vel operibus intereà se se occupent; sed mente libera recitationi vsq; ad finem incumbant; vt eorũ laudes dirigantur ad Dominum, sicut incensum in conspectu suo.

c. cum. sec. de, & c. de Jetes de Præb. & dignit.

Cõc. Lateran. sub. Leone X. sess. 6. c. 5.

Cõst. 13. Bull. t. 2.

§. 8. Qui ab Officij recitatione cessauerit, &

pro-

propter beneficium Ecclesiasticum fructus pro rata temporis pauperibus, vel Ecclesię, cui deseruit, erogare teneatur, aduertat, quòd salua conscientia, sibi ipsi eosdem fructus minimè applicare potest.

Conc. lat. 5. sess. 9.

§. 9. Caueant Cantores, ne profana, impura, & quęcumque sanctitati, ac deuotioni aduersantur, cantui immisceant, sed omnia pietatem, puritatem, ac religionem resonent: idemque seruetur ab eo, qui pulsandi Organi pręest officio.

c. docta extra de vita, & honest. Cler.

S. D N. Alex. VII. const. Piæ sollicitudinis da. 23 Apr. 1657

§. 10. Cęremoniarũ vsum ex Apostolica traditione, ac disciplina sancta Mater Ecclesia, cùm in Sacramentorum administratione, tùm in alijs Ecclesiasticis officijs, semper obseruandum proposuit, ac mandauit; quia & maiestas sacrificiorum per illas commendatur, & ceù adminicula deuotionis, & pietatis incitamenta sunt, quibus fides nostra, vt inquit Augustinus, sustinetur, & corroboratur. Ne itaque vndè fidelium mentes per hęc externa Religionis signa ad rerum altissimarum contemplationem surgere debent, ex illis malè actis, aut omissis, ad scandalum prouocentur; iubemus, tàm in Cathedrali nostra, quàm in Ecclesijs Diœcesis nostrę Collegiatis, Sacerdotem aliquem probis moribus deputari, qui in Ecclesia-

lib. 19. contr. Manich.

Cõc. Mediol. 1. p. 2. Tit. quæ pert. ad celebr. Missę

ſticis ritibus, & Cæremonijs verſatus, Magiſtri Cæremoniarum officio fungatur; & dum Miſſa, aut Veſperæ, vel quodcumq; aliud Officium ſolemnìter celebratur, omnia prouidentia ſua ordinatè diſponat; eiq; omnes Clerici, & Sacerdotes in his, quæ ad rectam ſacrorum rituũ, ac cæremoniarum obſeruantiam pertinent, obedire teneantur, ſicut & Nos, cum præſentes erimus, ei obtemperare volumus.

De Proceſsionibus
CAP. XVII.

APoſtolorum per Orbem peregrinationes ad inſtar optimarum Proceſſionum eſſe, ex eo colligitur; quòd & Dominus miſerit illos binos ante faciẽ ſuam, quò erat ipſe venturus, & in eis fuerint ſermo, ſilentium, religio, cæteraq; omnia, ad quorũ ſimilitudinem Proceſſiones noſtræ referantur, neceſſe eſt. Quà propter hortamur fideles, qui vel ſacco induti, vèl alio quocumque modo Proceſſionibus interfuerint, vt & ſingulari pietate, & non minori modeſtia vexillum Crucis comitentur, & iuſto numero ſodalitatum Confratres conueniant, conſiderantes maximè, quę myſteria externo illo ap- Cõc. Colon. 3. tit. cenſuræ c. 22. & 23.

M paratu

paratu significentur, vt à Domino axaudiri eorum vota mereantur.

Cõc. Mediol. 1. p. 2. tit. de Processi.

§. 1. Supplicationes generales in Ciuitate à Cathedralis, in Diœcesi à primaria cuiusq; loci Ecclesia, initium sumant, & peracto solito circulo, ad eam terminentur;

Conc. Mediol. vbi supra.

§. 2. Dignitates, & Canonici, tàm Cathedralis, quàm Collegiatarum, Parochi, Beneficiati, & Clerici omnes cum suis superpelliceis, & insignibus tantùm, pié, modesteq; accedant: idemq; faciant omnes tàm seculares, quàm Regulares, qui de iure, vel consuetudine Processionibus adesse debent; semperq; Templum adeant, antequàm Processio, & preces inchoentur. Numquàm verò ad vsque finem Processionem deserant: & solùmmodo in pace discedant, post datam à Superiori benedictionem.

Cõc. Trid. sess. 25. c. 13. de Reform.

§. 3. Laici cum Clero se nõ immisceant; vtq; omnia in Processionibus ad Dei laudé, & animarum salutem rectè dirigantur, probi aliqui ex vnaquaq; societate designentur viri, quorum sit societates suas ordinatim disponere, impedimenta amouere, ac reliqua omnia prouidere, quæ ad Processionis pertinent tranquillitatem,

§. 4. Mulieres, à viris separatę incedant. sitq; Magistri Cęremoniarum pręcipuum munus prouidere, vt ex parte Cleri, & aliorumq; omnia debita decentia fiant.

§. 5.

§. 5. Ad Processiones publicas Regulares vocati, ex præscripta S. Conc. Trid. dispositione, accedere teneantur, vt oratione, & exteriori religionis cultu Deum, & ipsis venerantibus, feruentius in reliquo populo studium accendatur Dominum nostrum glorificandi.

§. 6. Cruces, & Vexilla Ecclesiastica Clerici tantùm superpelliceo induti prȩferant, gestantibus signa sodalitatum Confratribus, sacco semper vestitis. Reliqui verò Confratres, qua maiori fieri poterit, grauitate, silentio, ac deuotione, bini in geminæ charitatis monumentum incedant, Psalmos, atq; Hymnos Domino psallentes. Cõc.Med. ibid.

§. 7. In Processione Sacratissimi Corporis Christi, omninò seruentur, quæ à Vicario nostro per Edictum fuerint ordinata, ad quorum obseruantiam ipsummet Vicarium inuigilare mandamus.

§. 8. Hȩc autem Processio instituatur matutino tempore, singulis Dignitatibus, Canonicis, Regularibus, & Societatum Confratribus cereos accensos, pro cuiusq; loci commoditate, portantibus: & quòad Sacerdotum paramenta, quicquid à Cæremoniali super hac re præscribitur, adamussim seruetur.

§. 9. Absente Episcopo, vel impedito, San-

M 2 ctissimum

ctissimum Sacramentum à prima Cleri Dignitate deferatur, Magistratu, & Nobilioribus extra Templum Vmbellam decentem portantibus, iuxta laudabilem consuetudinem.

§. 10. Viæ, per quas Venerabile Sacramentũ pertransire debet, apprimè mundæ sint, atq; etiã superius contegantur. Domorum verò parietes decentèr ornentur, pœnamq; in Edicto, vt supra, appossitã luant, qui onus suum, pro cuiusq; domus latitudine, adimplere neglexerint.

§. 11. Quatuor Altaria, aptè exornata in Ciuitate nostra per vias parentur; vnum scilicèt prope Ecclesiam Sanctæ Palatiæ; alterum ante Ecclesiam S. Augustini; tertium prope Monasterium Sacrarum Virginum S. Nicolai; quartũ ante Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis; & in eis Sacramentum aliquantulùm quiescat, & adoretur ad Cæremonialis constitutionem. in alijs verò Diœcesis nostrę locis tot Altaria erigantur, quot Vicarijs foraneis opportuna videbũtur: semper illorum cura Sacerdotibus, vel Clericis, sacro ordine insignitis, commendata.

§. 12. Die Sanctissimi Corporis Christi, chorçæ, saltationes, & cantilenæ, sub grauibus pœnis ad arbitrium nostrum, omninò sileant: nullęq; exhibeantur in hac Processione repræsentationes, aut aliquid vel metro, vel oratione

soluta

ſoluta compoſitum recitetur , abſque noſtra licentia. Tormenta quoquè bellica, ante ipſius Sacerdotis, Sacramentum deferentis tranſitum non exonerentur.

§. 13. A Chriſtiana humiltate alienum eſt, vt qui aliquo impedimento eiuſcemodi ſacræ Proceſſioni intereſſe non poteſt, immaculatã Hoſtiam adorare in feneſtris præſumat. Moneant itaq; Parochi fideles ſuos, vt vel in via, vel ante domorum portas, ad Sacramentum venerandum, deſcendant, & prȩcipuè eos hortentur, vt in die feſto Corporis Chriſti, conſcientia prius expiata, ſacram Euchariſtiam ſuſcipiant, & per totam octauam diuinis interſint Officijs, quò certiùs Indulgentias, à ſummis Pôtificibus conceſſas, conſequi valeant. Eugen.IV. Conſt. & Bul.tom.1.

De Indulgentijs.
CAP. XVIII.

QVàm diues ſit Deus in miſericordia, & quàm in gratia munificus, ex ſpirituali etiam theſauro, quem Sponſȩ ſuæ Catholicæ Eccleſiæ tradidit diſpenſandum, præclarè conijcitur. Quia enim, poſt remiſſam in Sacramento peccati culpam, remanent plerumq;

tem-

temporales pœnæ lauẽdę, Indulgentias, quarum fundamentum est idem spiritualis thesaurus satisfactionũ Christi, Sanctorumque, voluit à Romano Pontifice, eius in terris Vicario, concedi posse; vt scilicet per absolutionem iudiciariam ab omni pœna, ipsimet Deo debita, fideles soluti, nullo impedimento retardentur, ad æternam salutem fœliciter consequendam.

Card. Belarm. l. 1. de Indulg. c. 5.

§. 1. Intelligat ergo Populus noster, cælestem esse Indulgentiarum vim, atque efficaciam, & vbi Ecclesias, tàm singularibus beneficijs locupletatas esse certò sciat, ad earumdem Indulgentiarum vberrimas, salutaresque vtilitates percipiendas, defæcata prius à maculis conscientia, se accingat.

Leone. X. const. 40. Bullar.t.1.

§. 2. Indulgentias, quouis modo concessas, nulli cuiusuis Ecclesię, etiam exemptæ Rectori, nulliq; Regulari, aut Laicorum sodalitati cuiusuis priuilegij prętextu promulgare liceat, nisi prius à Nobis, recognitę, & legitimæ probatæ fuerint, iuxta S. Conc. Trid. decretum.

sess. 21. c. vlt. de Ref.

§. 3. Diplomata vero, siuè Indulgentiarum summaria numquàm appendantur ad capsulam, pro eleemosynis colligendis paratam; sed in Altari, vbi Indulgentiæ consequendæ causa, oratio constituta est, numquamuè Parochi, vel Con-

Cõc. Trid. sess. 21. c. 9. de Ref.

Concionatores in eius publicatione ad eleemosynas fideles hortentur, nisi aliter ex Bullis disponatur; vt omes intelliga nt, spiritualia dona non ad quæstum, sed ad peccatorum satisfactionem, & ad alia pietatis opera summos Pontifices benignè elargiri.

De Canonicis Cathedralis, & Collegiatarũ. CAP. XIX.

QVò maiori Ecclesia nostra Auximana antiquitatis, & nobilitatis splendore ceteris pręstat, eò magis Canonicos doctrina, & vitę sanctitate antecellere omnes decet: sed ad alios etiam Collegiatarum nostrarum Canonicos se se nostra extendit hortatio, vt sale sapiẽtię homines condire studeant, & morum integritate, tamquàm lucerna super candelabrum, hominibus prelucere, qui in domo Dei sunt: facti enim & ipsi nobiscum forma gregis singularia inferioris ordinis ministris preferre debent exempla virtutum. Cõc.Trid. sess. 24. c. 12. de Ref.

§. 1. Archidiaconus, & Archipresbyter, prior scilicet, vt oculus Episcopi, diligenter inuigilent, ne aliquid omittatur, quod ad Chori disciplinam, & debitum Ecclesię seruitium c. perlectis dist. 25.

uitium pertinet: & functiones Dignitati, vel Canonicatui annexas vnusquisq; per se ipsum, nisi legitimo fuerit impedimento obstrictus, persoluant, iuxta S.Conc. Trid. dispositionem.

sess 24.c. 12.de Ref.

§. 2. Qui ex Canonicis siuè per turnũ, siuè alio modo pro Ecclesię consuetudine est eligendus hebdomadarius, Matutinum, Missam Conuentualem, quandò Missa iuxta tabellam erit Canonicalis, Vesperas, aliaq; diuina Officia per se canere semper teneatur; nec trium dierũ distributiones lucretur, si absq; legitima necessitate munus suum adimplere recusauerit.

Conc.Me. diol. p. 2. tit.de Magist.Chor.

§. 3. Quo tempore Canonicis à iure communi, vel à S. Conc. Trid. abesse permissum est, si diutiùs triduo absfuturi sint, à Nobis licentiam petant; ne propter multorum Canonicorum absentiam diuinus cultus deseratur.

Cõc.Trid. d. c. 12. sess. 24.

§. 4. Capitulum pręuia indictione, vel per schedulam, vel per solitum mandatarium facta, saltèm in mense extra dies festos, & diuini Officij recitationem, congregetur, & sæpius etiam, si necessitas id exigat: amittantq; illius diei distributiones, qui Canonici in hoc absquè iusta causa defecerint. In principio autem, & in fine cuiusque Capituli per primum Canonicum dicantur orationes consuetæ.

Cõc. Treuer. c. 8.

§. 5. In sententia proferenda, vnusquisque

Cano-

Canonicus suo ordine, & loco modestè se gerat; primiquè Canonici munus sit, altercationes componere. Canonici porrò de quiete moniti, si altercari perrexerint, illius diei distributionibus priuentur.

§. 6. Cassa sint, & irrita decreta Capitularia, quę per secreta suffragia sancita non fuerint, exclusis semper à Capitulo Canonicis, quorum de re tunc temporis agetur.

§. 7. Conuenientibus duabus Canonicorum partibus illud semper executioni mandetur, quod à maiori parte præsentium legitimè fuerit deliberatum.

Honor. III ex Ciron. de ijs, quę fiunt à maiori &c. c. 1

§. 8. Grauiora negocia, quę maturam exigunt discusionem, in vno Capitulo proponi, mandamus, in alio de eis deliberari: si celerem desiderent expeditionem, subsequens Capitulum opportunè congregetur. Decreta verò omnia per Capituli scribam in libro sēper annotentur.

§. 9. Statuta in Capitulo de remissione pecuniæ Ecclesiæ debitæ, de amouendis consuetudinibus, vel de constitutionibus Capitularibus reuocandis, vel de aliqua alia re grauioris momēti, inania, & nullius arboris esse decernimus, absq; nostra particulari scientia, atq; consensu.

§. 10. In Canonicorum funeribus celebrādis, quandò ex hac vita decedunt, seruetur

N con-

consuetudo; omninòq; custodiantur in cæteris Visitationis decreta, & Capitulorum constitutiones, atq; laudabiles vsus.

c. ambitiosę extr. de reb. Eccles. non alien.

§. 11. Nulli Canonico vel per se, vel per alios Capituli bona, prouentus, & redditus absq; nostra facultate conducere liceat. Idemq; statuimus de illorum consanguineis in primo, & secundo gradu: aliòquin huiusmodi contractus inualidi sint, & tàm conductores, quàm Canonici, eidem locationi assensum præbentes graui pœna mulctabuntur: si verò hac in re aliquid occurat, quod nostram exigat dispensationẽ, ad Nos deferri id volumus.

Cōc. Rauen. sub Honor. IV c. 5.

§. 12. Infirmi distributiones non lucrentur, nisi de eorum ægritudine, & eorũ nomine Medici fides exhibeatur, à Capitulo approbãda.

§. 13. Mansionarij, qui diuinis Officijs interesse tenentur, oneri suo sedulò satisfaciant, & tempore permisso, duobus tàntùm vacare liceat sub pœna amisionis distributionum, quæ iure repræsentationis ei, vèl eis accrescent, qui munus suum adimpleuerint. Sin' autem omnes abesse vno, eodemq; tempore contigerit, eorum distributiones Sacristiæ, vel pauperibus, vt Nobis videbitur, applicentur.

Cōc. Trid. sess. 24. c. 12 de Ref.

Cōc. Trid. sess. 23. c. 1. de Ref.

§. 14. Quod reliquum est, circa vacationem duorum mensium, qua Canonici Cathedralis

nostræ

nostræ arbitrio nostro fr[illegible], & distributiones integrè percipere possunt, iuxta decretum S. Cong. Eminentissimorum Card. Conc. Interpretum, tunc demùm volumus, Canonicos huiusmodi indulto gaudere, si conditiones, in eodē decreto appositas, scilicèt vt tempore vacationū duę partes ex tribus ipsorū Canonicorum Ecclesiæ semper inseruiant,& exceptis diebus festis solemnioribus,in quibus omnes inseruire teneantur, integrè obseruauerint. Mādantes in cęteris exactè etiā ea omnia seruari, quæ super hoc sapiēter declarata, ac sancita sunt à recolendę mem. D.Cardinali Verospio Prædecessore nostro sub die prima Decembris 1648. S. Cong. die 3. Martij 1646.

De Parochis, & eorū Officio, ac Residentia. CAP. XX.

PArochorum munus in eo versatur,vt omni charitatis offcio, tamquàm veri pastores, gregem suum, nō semetipsos pascentes, ansam Domino eripiant, ouium suarum sanguinem in die iræ ab eis requirendi: Quod profectò non eueniet, si fideles, eorum curæ demandatos, verbo, & exemplo alere, ac fidei Christianæ rudimentis erudire, & Verbi Dei prædicatione, Ezech. c. 34.

& salutaribus monitis, Sacramentorũ administratione sacrificijs, & precibus frequenter iuuare studuerint, vt hæc omnia etiam, atq;etiã eis commendamus, atq;obseruãda mandamus.

§. 1. Pręterea propriam Parochiam sepè perlustrent, & ouium suarum facies, & opera agnoscant, perquirendo diligenter, an intra eius fines aliqui reperiantur, de hæresi suspecti, vèl hæreticorum libros detinentes, quos omnes statim ad Nos deferant: Idemq; seruent de Meretricibus, Blasphemis, Vsurarijs, Adulteris, lusoribus, Maleficis, Superstitiosis, alijsquè publicè peccantibus.

Cõc.Trid. sess. 23. c. 1. de Ref.

§. 2. Festorum dierum, & ieiuniorum obseruantiam intra Missarum solemnia populo declarent; ostendantq; quomodo dies festi sanctificandi sint, & quæ pœna ieiuniorum violatores sequatur; ne illorum ignorantia corda peccatis grauentur.

Cõc.Trid. sess. 25. in fin.c.de delectu cibor.

§. 3. Præcipuè verò diebus Dominicis populo Parochi aliquid de Euangelio semper exponant; cauentes tamen, ne quid dicant, quod veritati Euangelij aduersetur, & in Domino spem habentes, qui dat verbum euangelizantibs virtute multa, in lectione Cathechismi Romani, spiritualiumq; librorum sint assidui, vt per hoc munerisuo meliùs satisfacere queant.

Cõc Trid. sess. 5. c. 2. de Ref.

Psalm. 57.

§. 4.

§. 4. Singulis itèm diebus Dominicis, nullo excepto, tàm Parochi, & Curati Vrbani, quàm rurales Doctrinam Christianam, ad formam in Cap. de ea præscriptam, pueros, & puellas edoceant: nequè quouis prętextu à tàm necessario munere se se excusare præsumāt, sub grauissimis pœnis ad arbitrium nostrum. Id. Conc. sess 24. c. 4. de Reform.

§. 5. Opportuno tempore, iuxa loci consuetudinem, fiat ab eis domorum benedictio. Domos tamen meretricum, & eorum, qui peccatores notorij sunt, item illorum, qui elapso anno Communionem non acceperunt, nullus benedicat, neq; in die Purificationis candelas, & in die Palmarum oliuas, vllo modo eis distribuat.

§. 6. Animarum curam sibi commissam, vnusquisque Parochus per se ipsum excerceat, nec ęam absq; nostra licentia alteri cuiuis exercendam tradat, & obtenta à Nobis Cappellanum retinendi facultate, quam, nisi legitima intercedente causa, non concedemus, residentiam non deserat, nisi aliàs de iure excusetur. Conc. Lateran. 3. c. 13.

§. 7. Et quia Parochus non mercenarius, sed Pastor est ouium, & gregis sui vtilitati magis, quàm rei propriæ commodis attendere debet, alienam Ecclesiam, extra fines Parochiæ sitam ad celebrandum diebus festis non petat, absq, nostra licentia, quam tamen ei nolumus suffra- Cōc. Trid. sess. 23. c. 14. de Ref.

gari,

gari, nisi aliquem Sacerdotem, in sua Parochiali Ecclesia reliquerit, qui eius vices in sacro perficiendo sustinere valeat.

Cõt. Trid. sess. 23. c. 14. de Ref.

§. 8. Nullus Parochus, vel quiuis alius Curatus pernoctare, degere, & multò minùs abscedere, etiam ad paucos dies, à Parochia sua præsumat, non obtenta à Nobis, vel à Vicario nostro generali licentia; ne pręter culpę lethiferæ noxam, etiam alijs plectatur pœnis, à S. Côc. Trid. statutis. Vicarij autem foranei solummodò per triduum facultatem discedendi concedere possint, semperq; animaduertant, vt in Parochorum absentia animarũ cura approbatis ad Confessionem Sacerdotibus commendetur.

Côc. Trid. vbi supra

§. 9. Quo tempore à fidelibus Confessiones frequentari solent, & præsertim per dies octo ante Iesu Christi Domini nostri Natiuitatem, & à Dominica Passionis, vsque ad Resurrectionis octauam Ecclesias suas, etiam ad breue spatium Parochi non deserant, ne illis absentibus, pœnitentes à Confessione reuocentur.

§. 10 Parochus cum primùm nouerit, aliquem de sua Parochia morbo laborare, sumpta occasione ipsum adeat, & cum eo de salute opportuna loquens, pari charitate, atque prouidentia, ad percipienda omnia Sacramenta, dũ adhuc mens, & ratio viget, illum & hortetur, & disponat.

§. 11.

§. 11. Et quia Parochus ſpeculator à Domino eſt conſtitutus,nouos ſuæ Parochiæ inquilinos, qui ſint, quaſquè mulieres ſecum habeāt, obſeruare non prętermittat, ne ſub ſpecie coniugij, aliquandò inceſtus, & adulteria perpetrentur.

§. 12. Pauperum verò, viduarum, pupillorum, orphanorum, aliarumq; miſerarum, & egentium perſonarum omnes Parochi præcipuam curam gerant, atq; in Domino conſolentur, vt his charitatis operibus, Deo debitum exoluant famulatum. Cōc.Trid. ibid.

§. 13. Conficiant Animarum ſuarum cathalogum, & habentes in Eccleſia fontem Baptiſmatis, ad formam pręſcriptam, in libris, etiam inuicèm ſeiunctis, Baptizatorum, & mortuorum nomina, atq; Matrimonia inſcribere teneantur. Conc.Toleit. 19. c vlt. Cōc.Trid. ſeſſ. 24. c. 2. de Ref.

§. 14. Cum ad Parochorum officium ſpectet, ab omnibus inſidijs, odijs, contentionibus, & inimicitijs gregem ſibi traditum innoxium cuſtodire, diligenter omnes Animarum Paſtores inueſtigent,an huiuſmodi morbo fideles ſui corripiantur, & eos ad fœdus pacis omni pietatis ſtudio hortentur. Qui verò iuſtis etiam oblatis conditionibus pacem cum proximo ſuo inire noluerint, ad Nos illicò deferantur; vt in

hoc

hoc etiam, quæ nostri muneris sunt, exequi non prętermittamus.

§. 15. Ludus literarius à Parochis domi suæ, vel alio in loco intra, vel extra fines Parochiæ, non aperiatur, aut instituatur, nisi quandò ad publicam vtilitatem à Nobis concedatur.

§. 16. Qui Parochiale domicilium intra Parochię terminos non habet, non propterea à residentia excusatur; sed quantùm fieri potest, eidem Ecclesię propinquius conducat, ibique semper habitet; quod etiam à Canonicis prę-stetur, si quandò ex dispensatione Apostolica Parochiales Ecclesias obtineant. Qui verò per sex menses à sua residentia abfuerit, & monitus redire neglexerit, punietur, iuxta Conc. Trid. decretum, etiam Beneficij priuatione.

S. Cong. DD.Card. Interpret. S. Conc. Trid. 13. Nou. 1627

sess. 23. c. 1. de Ref.

§. 17. Inter Missarum solemnia suis temporibus promulgentur à Parochis edicta, & constitutiones Ecclesiasticę ad nostrum præscriptum, semperq; omnes functiones exercere per se teneatur, nisi legitimum eis obstet impedimentum. Vesperas quoq; diebus festis, vbi consuetudo viget, canere non prętermittant, vt deuotio fidelium magis augeatur.

Conc. Lateran. 4. c. 32.

§. 18. Parochis tùm Vrbanis, tùm Diœcesanis ęgrotantibus, omne charitatis officium viciniores Parochi impendant, Sacramenta,

atq;

atq; animę commendationem eis miniſtrent, & ad Parochi mortui funus accedere, ac pro ipſius animę ſalute ſacrificium Miſſę deuotè Deo offerre Parochi omnes illius loci, in quo habitant, etiam non inuitati, teneantur.

§. 19. Cum ex Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus ſancitum ſit, vt Parochi Vrbani, tanquàm Canonici ſupra numerum nuncupati in Feſtis ſolemnioribus ad Cathedralem Eccleſiam, dum Miſſa, & Veſperę à Dignitatibus, & Canonicis cantantur, accedere debeant, & officio Diaconi per turnum fungi: Nos eiſdem Conſtitutionibus inhęrentes, mandamus, vt impoſterum Parochi Vrbani, vel per ſe, vel per alios prædicta munia exerceant; dummodò Eccleſiarũ ſuarũ neceſſitatibus legitimè non ſint impediti. Animarũ enim Paſtores gregi ſuo primùm attendere iubentur, ac fidelium ſibi commiſſorum ſaluti præ omnibus proſpicere.

§. 20. Clerici autèm, Cathedralis Eccleſię ſeruitio addicti accurata obedientia, quò ad eiuſdem Eccleſię ſeruitium, S. Conc. Trid. decretis pareant, & iuxta inueteratam, & immemorabilem conſuetudinem Subdiaconi munus obeant, quoniam & Nos eorum ſedulæ, & indefeſſæ operæ, pro cuiuſquè merito, rationem ſuo tempore ſumus habituri. c. placuit 21. q. 2.

O De

De Decimis.

CAP. XXI.

Decimas persoluentibus fertilitatem in messibus, & rerum omnium abundantiam à Deo rependi, apertissimè testatur Augustinus. Verùm in nonnullis tàm altè radices egit auaritia, vt licèt de iure diuino, ac naturali spiritualia seminantibus temporalia debeantur subsidia, propriæ tamen salutis obliti Decimas Parochis stato tempore pendere prorsùs detrectent, & aliquando etiam varijs causarum coloribus de medio tollere attentent; quasi iustissima Dei consuetudo non sit, ad decimam reuocare, & in primitijs, ac penuria maledicere, qui libenti animo decimationem non inferunt in horrea Domini.

Hom. 48.

D. Aug. ser. 219 de Temp.

§. 1. Quapropter tàm graui malo obuiam ire cupientes, statuimus, & ordinamus; vt nemo imposterùm quocumquè prętextu se tueri possit, quò minùs decimas, ad quas tenetur, eo modo, & forma, & in ea quantitate persoluat, quam maior pars eiusdem Parochiæ præstat, nisi conuentione aliqua, vel priuilegijs se ab ea immunem esse legitimè ostenderit.

Côc. Trid. sels. 25. c. 12. de Ref.

§. 2. In exigendis verò ipsis Decimis, cum Nobis

Nobis innotuerit, quòad quotam sæpè sæpius altercationes, & litigia inter Pastores, & suum gregem exoriri, potissimùm in aliquibus huius Ciuitatis Parochijs ruralibus; ad tollenda scandala, & mutuum amorem, ac fidem inter vtrosq; conciliandam, conseruandamquè, decernimus, ac mandamus, vt ex quolibet prædio, intra limites Parochię constituto, soluantur Decimę iuxta solitum: Si autèm dictum prędium diuidi contigerit, dummodò ibi noua domus non construatur, in qua alia inhabitet familia, vna tantùm Decima præstetur. Conc. Lateran. 4. c. 53.

§. 3. Si in Parochia, seù prædio ibi existente, ædificetur aliqua noua domus, vbi inhabitet familia, soluatur solita Decima, quod etiam obseruetur, si in ipso prędio antiqua domus destruatur.

§. 4. Si in prędio non seritur frumentum, soluatur tamèn Decima illarum frugum, quę eodem anno colliguntur. C. ex parte de Decim

§. 5. Si prędium sit ità exiguum, vel ex aeris inclementia non colligantur plusquàm quatuor cuppę frumenti, seu quatuor cadi vini, Parochi sint contenti exigere Decimæ solitæ medietatem.

§. 6. Si aliquis colonus colat, & ferat plura prędia, obnoxia Decimis, teneatur ipsas pen-

dere iuxta solitum; si autem aliquod prædium, ex quo exigitur vna tantùm Decima, per plures colonos, seù ipsos Dominos colatur, vnam dumtaxàt Decimam pro rata prꝺstent, dummodò ibi non erigatur aliqua alia noua Domus, quam alius cum sua familia inhabitet.

§. 7. Et quoniam lege cautum est, vt bona transire semper debeant cum oneribus annexis; mandamus, ad solutionem Decimarum prędialium teneri personas Ecclesiasticas, etiam Regulares, & eorum Colonos ex bonis, & prędijs, quę ad ipsorum proprietatem transierunt, in ea quantitate, pro qua tenebātur laici, priusquàm dicta prędia ad Ecclesias peruenirent.

c. statuto §. cæterû, & c. nuper Decim.

§. 8. Coloni habentes in aliquo prędio boues, aut vaccas, siuè suas, siuè Dominorum suorum, non sint abnoxij pro ipsis ad Decimarum solutionem, nisi prędium ità latum, & capax fuerit laboris vnius bouum paris, firma tamèn semper remanente in quolibet casu Decima, ex alijs rebus Parochis debita.

§. 9. Si quis autèm post huiusmodi Decreti publicationem Decimas persoluere renuerit, prętер realem iuris executionem, etiam excommunicationis fulmen, si opus fuerit, in ipsum vibrabitur.

Cōc. Roman. sub Damas. c. 1.

De

De Vita, & Honestate Clericorum CAP. XXII.

DIsciplinam, & honestatem illorum, qui in sortem Domini vocati sunt, validissima esse hominibus sæculi ad virtutes sectandas hortamenta, quotidiana docet experientia. Quot in peccatorum foueam præcipites aguntur, à Clericis pessimo vitæ exemplo ad manum ducti? Quot castitatis decus commaculant, Ecclesiasticorum sordibus, & intemperantia prouocati? Quæ prȩiudicia non tolerat Deus ab ijs, qui ad aliorum ȩdificationem positi scelestissima de se dant prauitatis documenta? Prȩbeant ergò se, & Clerici, & Ecclesiastici, & ante omnes, Sacerdotes populo Christiano exemplar bonorum operum; ne à via Domini recedentes, & plurimos in Testamento eius scandalizantes, ad instar Iudȩ, quod absit, sortiantur sortem ministerij sui. D. Greg. Hom. 17. in Luc.

§. 1. Et quia etiam exteriori corporis tegumento decet Clericos, omnem prȩseferre modestiam: sit eorum habitus semper simplex, & honestus, non tamen sordidus, & neglectus, aut ad pompam, vel vanitatem paratus. Incedant iugitèr veste talari circumamicti, & solummodò Conc.Matiscon. 1. c. 5. Conc.Colon. 2 p. 2. c. 24. & seq. Conc.Lucens.c. 66.

c. nullus 21. q 4. dò breuioribus veſtibus vtantur, cum iter faciunt; ità tamèn, vt veſtes longitudine genua excedant, & à Clericali dignitate, atq; honeſtate non diſcordent. Hæc omnibus obſeruanda mandamus; declarantes, illos tantùm Clericos toleratum iri, qui vel ruri commorantes, vel minoribus ordinibus initiati, paupertatis ratione excuſari mereantur: Verumtamèn, & ij pauperes, atq; rurales pro diebus ſolemnibus in Eccleſia, & in Synodo veſtes talares habeant.

Cõc. Rauẽ. 3. poſt. Clem. V. c. 10. c. clerici offic. de vita, & honeſtate, Cleric.

§. 2. Tonſuram, & Clericalem coronam latam, atq; conſpicuam omnes deferant: manus anulis non exornent, niſi ob dignitatis, ſeù Doctoratus gradum, & tùnc vno tantùm, & ſimplici: & præcipuè ſub pœnis ad arbitrium noſtrum, comam laicorum more nutrire, nullatenùs præſumant, ſed tàm capillos capitis ſui, quàm barbam ad Clericalem grauitatem, atq; modeſtiam componant, volumus.

c. ſi quis ex Clericis eod. tit.

§. 3. Nullus Clericus ſuperpelliceo mundo, atq; decenti careat, illoq; indutus nequè officinas ingrediatur, nequè per vias euagetur; ſed ſolum in Eccleſiaſticis functionibus eo vtatur.

§. 4. Clerici, alicuius Eccleſiæ ſeruitio in Ordinatione adſcripti, eidem Eccleſiæ diligentem præſtent famulatum; Qui verò certæ Eccleſiæ ſeruitio non ſunt addicti, teneantur tamèn

Cõc. Hiſpalen. 2. c. 5.

ſingulis

ſingulis diebus feſtiuis in maiori, & Parochiali Eccleſia diuinorum officiorum celebrationi intereſſe, & omnia munia libentèr obire, quæ circa Altaris miniſterium à Parocho illis iungẽtur.

§. 5. Numquàm Clerici ſine habitu; & Tonſura incedant; ne contra facientes, indigni fiant, quorum tutela, ac defenſio apud Laicos Iudices à Nobis ſuſcipiatur. Cõc. Trid. ſeſs. 23 c. 6. de Ref.

§. 6. Cum arma Clericorum virtutes eſſe debeant; interdicimus eis omnia armorum genera, etiam ad defenſionem, vel ad venandum parata, excepto cultro, ad vſum domeſticum accommodato, ſub pœnis ad arbitrium noſtrum, ſi interdiù, noctuquè cum eis reperti fuerint. Facturi verò iter per loca ſuſpecta, licentiam arma deferendi à Nobis, vel Vicario noſtro expetant, quam non denegabimus, ſi id expedire Nobis videbitur. c. Clerici de vit. & honeſt. Clericor. Conc. Mediol. 1. p. 2. tit. de armis, & lud.

§. 7. Ex ludis truces iras, rixas, inimicitias, acerba odia, & innumera alia mala gigni, experimento aſſerere poſſunt ij, qui eos aſſidua exercitatione frequentant, & paſsìm omnes alij, & Nos ſcimus. Proindè Clericos omnes à quibuſuis alearum, & taxillorum ludis, præſertim publicis, abſtinere præcipimus, pœnas etiam ad arbitrium noſtrum eis comminantes, qui ipſis ludis publicis ſiuè luſores; ſiuè ſpectatores Cõc. Trid. ſeſ. 22. c. 1. de Ref.

tores

tores fuerint, aut proprias in Aedes publicè alios, ad ludendum admiserint.

c. Sacerdotibus ne Clerici se immisc.

§. 8. Caueant Clerici, ne famulatum actu exhibeant Laicis, quacumque dignitate fuerint insigniti; quinimmò nulla in re, quę Clericalem Ordinē dehonestare possit, eis inseruiant.

Conc. Mediol. vbi sup.

Cōc. Trid. d. c. 1. sess. 22.

Cōc. Laodicē. c. 54. c. Non oportet de cōsecr. dist. 5.

Conc. Remens. c. 26

§. 9. Personatum incedere, publicas, vel priuatas choræas ducere, etiam breuioribus tantùm vestibus, nulli Clerico liceat, sub pœnis ad arbitrium nostrum: caueantq; omnes Clerici, sub eisdem pœnis, ne in priuatis viliorum hominum domibus, vbi choræ aguntur, spectatores adsint: hoc enim magna populo esset scandali occasio, & Clericali honestati nimium inferret detrimentum. Abstineant se quoquè ab oscænis fabulis, Comędijs, & Circulatorum oblectamentis, nequè ad Cauponas, nisi in itinere necessitatis gratia diuertant.

c. nullus de consec. dist. 5. Cōc Col. 1. p. 2. c. 15

de Spect. c. 7. c. Legimus dist. 37.

§. 10. In Laicorum conuiuijs, etiam nuptiarum causa paratis, ad canendum induci numquàm se sinant: multò minùs nocturnas canant cantilenas, aut laicos, talia canentes, comitētur.

§. 11. Libros amatorios, quorum summa gratia, vt ait Tertullianus, de spurcitia plurimùm concinnata est, ac proindè honestatis pessima sunt venena, nec perlegant, nec domi suæ retineant: nec venationem, aut aucupium exer-

exerceant, potissimùm diebus festis.

§. 12. Quia verò turpe admodùm est, pro Deo militantes sæcularibus negocijs implicari: Clericos omnes, quacumque dignitate, titulo, aut nomine censeantur, expresse, ac strictè iubemus, ab omni mercatura, & illicita negotiatione abstinere, nequè in aliorum negocijs, aut mercaturis se se tamquàm mediatores, & proxenetas interferere: nec aliena prædia conducere, nec frumentum, vinum, oleum, aut alios terræ fructus, præter quàm ad proprium vsum, emere, aut pro alijs absque nostra licentia fideiubere, declarantes, fideiussiones omnes nullitatis vitio subiacere, si secus ac decernimus, factum fuerit.

Cõc. Trid. sess. 22. c. 1.

Conc. Colon. 2. p. 2. c. 31.

§. 13. Pupillorum autem tutelæ, curæ Testamentariæ, etiam datiuæ à Clericis non suscipiãtur sine nostro consensu, in scriptis expresso.

Conc. Calcedon. c. 3.

§. 14. Aduocati, vel Procuratoris officio coram Iudicibus Laicis minimè fungantur, Nobis inconsultis, & approbantibus: nec vmquam sine nostra licentia, in scriptis accepta, in foro sæculari coram eisdem Laicis Iudicibus testimonium ferant.

c. Cyprianus q. 3. c. 1. de postulando

§. 15. Clericis vita functis, eorum hæredes quascumq; Bullas, & scripturas, ad ipsorum Clericorum beneficia spectantes successoribus

Conc. Rauen. 3. post Clem. V. 17. tradere, ac consignare teneantur. Quod si huiusmodi scripturas aliquo modo occultare, supprimere, lacerare, aut negare præsumpserint, sententiam excommunicationis, Nobis reseruatam ipso facto incurrant.

§. 16. De carbonibus scintillas dissilire, & mulierum contubernium concupiscentiæ fundere pestilentiam, ait D. Aug. (In lib. de sing. cle.) Hortamur propterea omnes Ecclesiasticos viros, vt tanti Doctoris documenta audientes, quantum fieri potest, mulierum, etiam quæ sibi consanguinitatis vinculo copulantur, cohabitationem effugiant: Et strictè omnibus Clericis, in sacris Ordinibus cõstitutis, vel Beneficiatis præcipimus, vt in domibus suis præter matrẽ, auiam, sorores, (Conc. Nicen. 1. c. 3.) & alias nõ suspectas consanguineas, vel affines, vsq; ad secundum gradum, nullas fæminas habeant, (c. 1. de cohabit. Cleric.) quæ vel pro ætatis conditione suspicionem, aut propter malæ famæ odorem, scandalum populo afferre possint. Hęc enim solet esse petra offensionis, quę aliquandò & pastorem, & oues sibi creditas in interitũ demergit.

§. 17. Locare verò partem domus, quam Parochi, vel Beneficiati inhabitant, etiam bonę famę mulieribus penitus eis interdicimus:

De

De Seminario.
CAP. XXIII.

TAM multa piè, ac prudenter à Prędecessoribus nostris statuta sunt, ad rectam Seminarij gubernationem, vt nihil Nobis curandum sit, nisi vt cæteris in suo robore permanentibus, illa tantùm ad viridem obseruantiam reuocentur,quæ temporis iniuria obsoleuerunt; Quid enim prodesset, pueros in seminario collocare, nisi quasi ligna secus decursus aquarum plantati, vberes doctrinæ, probitatis, & bonorum operum fructus ad fidelis populi vtilitatem in tempore suo producerent, prout ad hoc quælibet seminaria in Cathedralibus, & insignioribus Ecclesijs ex decreto S. Conc. Trid. laudabiliter sunt instituta? sess. 23. c. 18. de Ref.

§. 1. Mandamus itàque, vt imposterum eiusdem Seminarij Clerici omnibus diebus festis, ex præcepto, vel ex consuetudine Ciuitatis obseruandis, Præceptore subsequente, ad Cathedralem Ecclesiam accedant, ibiq; Matutino, alijsq; Horis Canonicis, & Missæ maiori intersint, Altari ministrantes, & alias functiones exercentes, ad Magistri Cęremoniarum nutum. In diebus verò ferialibus, tempore Missæ

Conuentualis celebrandæ aduenicnte. Præceptor omnes Clericos ad præfatam Ecclesiam trasmittat; qui, Clericalibus muneribus in Altaris ministerio deuotè peractis, & Missa absoluta, ad Seminarium statim reuerti teneantur.

§. 2. Et quia Seminarium erectum est ad Clerici disciplinam, ac doctrinam propagandam; curet potissimùm Præceptor, qui semper probatis moribus senex, & sapiens huic muneri erit præficiendus, vt saltèm semèl in die Cathechismus Romanus à Clericis legatur, & explicetur; & pro cuiusque captu etiam S. Conc. Trid. canones, & decreta in vernaculam linguam transferantur: sic enim eueniet, vt Ecclesiastica dogmata faciliùs in eorum mentibus imprimantur, & ad Beneficia tempore opportuno concurrentes, & non omninò rudes Examinatoribus Synodalibus se sistentes, digni sint, quorum merita, & virtutes in Beneficiorum collatione paterna dilectione à Nobis pensentur.

Conc. Mediol. 1. p. 2. tit. de freq. diuin. sacrif. oblat.

§. 3. Eo semper animo, ac proposito seminarium Clerici ingrediantur, vt ad Sacerdotalem dignitatem peruenire adspirent: Quod si Sacerdotij gradum ascendere recusauerint, omnes sumptus Collegio restituere teneantur, qui pro illorum educatione impensi sunt, nec aliàs facti fuissent. Vt autem in hoc fraudi locus

nullus

nullus detur, quilibet Clericus ante ingressum idoneum adducat Vadem, ad restituendas in prædicto casu omnes expensas; nec sine huiusmodi fideiussione, & cautione in Seminarium recipi valeat.

De Regularibus.
CAP. XXIV.

EX sacris Religiosorum Ordinibus Catholicam Ecclesiam maximè illustrari, plurimumq; ei vtilitatis semper accedere, nemo non nouit. Per ipsos enim diuini cultus obseruantia augetur, pietas fidelium excitatur, detestandæ hæreses màgis, ac màgis conuincuntur; nullusque est Regularium Ordo, qui insignes sanctitate viros populo Dei non proponat ad virtutis exemplum.

§. 1. Eos igitur, qui in nostra Ciuitate, ac Diæcesi commorantur Regulares, vehementer in Domino hortamur, vt quam professi sunt vitę rationem, omni cura, ac studio prosequi velint, moresque suosità in omnibus componere, vt per ipsos etiam nomen Domini in gentibus glorificetur.

§. 2. Nullus Regularis animarum curam, etiã in sui ordinis Ecclesijs exercere audeat, nisi à

Nobis

Cõc. Trid. sess. 25. c. 11 de Ref. Regular.

Nobis præuio examine ad eam approbatus fuerit, qui & omninò seruare, atq; adimplere teneatur, quæcumque cęteris Parochis hac nostra Synodo seruanda proponimus, ac mandamus. Cum verò animarum curam quouis modo ipsi derelinquere contigerit, Parochiales libros successori suo omnes fidelitèr tradere non prætermittat.

sess. 5. c. 2. de Ref.

sess. 24. c. 4. de Ref.

§. 3. Ex decreto sacrosancti Conc. Trid. quilibet Regularis à Nobis benedictionẽ obtineat, antequam Prædicatoris officio in sui Ordinis Ecclesia fungantur. In alijs autem Dięcesis nostrę, Ecclesijs etiam & licentiam.

Cõc. Trid. sess. 23. c. 15 de Ref. cap. inter cũctas extr. de priui.

§. 4. Nostra tantùm facultate, in scriptis obtenta Regulares audire Confessiones possint; & tunc neque à casibus, Apostolicæ sedi, aut Nobis reseruatis, absoluant. audientes semper Confessiones, non in priuatis ædibus, nec in eorũ cellis, sed in proprijs Ecclesijs, & tempore debito, neque noctu, neq; summo mane, sed in sede lignea, ad formam prę scriptam parata.

Conc. Lateranensis 5 sess. 11. const. 4.

§ 5. Sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ Vnctionis infirmis non ministrent, sine proprij Parochi licentia; neque absque nostro cõsensu Indulgentias, licet ipsis concessas, vel noua miracula publicent, aut populorum concursũ, sub miraculorum specie, permittant.

§. 6.

§. 6. Caueant Regulares, ne ad colloquendum cum Monialibus, etiam exemptis accedant, sub pœnis, à iure statutis, & in earum Ecclesijs non celebrent sine nostra, vel Vicarij generalis nostri in Ciuitate licentia, & foranei extra Ciuitatem: Conc. Parif. 6. lib. 1. c. 46. Greg. XV. const. 18. Bullar t. 3.

§. 7. Regulares extra claustra Monasterij vagantes à Nobis etiam, vel officialibus nostris visitentur, & puniantur, iuxta S. Conc. Trid. dispositionem. sess. 6. c. 3. & sess. 25. c. 14. de Ref.

§. 8. Ex facultate Nobis Apostolicis literis Summi Pontificis Gregorij XIII. tributa, procedemus ad censurarũ declarationẽ, earumdemq; literarum executionem, nisi Regulares integrè custodierint, quæ de ingressu fœminarum in Monasteria ab ipso sũmo Põtifice sancita sunt. Const. 28. Bullar. t. 2.

§. 9. Monemus deniquè, Regulares omnes ex decreto S. Rituum Congregationis ad celebranda Festa Sanctorum Patronorũ loci, in quo degunt; non autem ad illorum octauas teneri.

De Funeribus, & Exequijs.
CAP. XXV.

Exigit pietas, vt etiam Defunctòrum suffragijs, & sepulturæ opportunis sanctionibus

nibus prospiciamus. Et quoniam de hac Ecclesia, & Ciuitate quilibet Prędecessor noster est optimè meritus, Mandamus, vt prima die non impedita, post commemorationem omninum fidelium, Anniuersarium celebretur pro Episcopis Auximanis, sequenti verò die pro Archidiaconis, Archipresbiteris, & Canonicis Cathedralis nostrę, obsecrantes per misericordiam Dei Successores nostros, vt idem seruari post obitum nostrum velint: hoc enim charitatis opere motus, plurimis, vti confidimus, in Pastorali nostro officio, ex humana fragilitate admissis defectibus ignoscet misericors, & clemens Deus, oblata ei pro pœnis, in quibus forsan detinebimur, Passionis Filij sui memoria, & incruento sacrificio.

Cõc. Mediol. 1. p. 2. tit. de funer. Episc.

§. 1. Vniuersæ carnis viã ingresso Episcopo, præcipimus Capitulo, vt statim de eius morte Vicarios foraneos reddat certiores; qui in Ecclesijs Collegiatis, & Parochialibus totius Dięcesis Missã solemni more pro ipsius anima celebrari curabunt, publicis deindè supplicationibus indictis, ad impetrandum à Domino Pastorem, qui in Testamẽto eius semper glorietur.

Conc. Nicęn. 1. ex Arab. c. 65.

§. 2. Nemini exequiarum, sepulturę, aut Anniuersariorum causa quicquam pacisci liceat; sed omnes, & singuli modestè exigant,

Conc. Later. 3. c. 7.

quod

quod ex antiqua locorum cõſuetudine præſtari conſueuit. Si verò Defunctorum hæredes ſolitã eleemoſynam præbere detrectauerint, Parochus Nos, vel Vicarium noſtrum abſque vlla altercatione admoneat, vt de ijs prouideatur, quæ iuxta loci conſuetudinem, & perſonarum qualitatem præſtanda videbuntur. Negare autem, vel differe ſepulturam nemo præſumat hoc titulo, quòd non perſoluantur ea, quæ de iure, vel conſuetudine prẹſtari debent; id enim grauiſſimum eſſet delictum, & Nos ad ſeueram correctionem prouocaret. Conc. Rauen. 2. ſub. Clem. V. c. 2.

§. 3. Pauperes, & egenæ perſonẹ, quẹ proprijs ſumtibus humari nequeunt, Eccleſiẹ expenſis terrẹ mandentur; niſi alicui Sodalitati, vel alteri tale onus incumbat. Quòd ſi aliquandò dé veritate paupertatis lites exoriantur, Vicarius noſter de ea iudicium proferat, & hoc intèrim defuncti ſepultura non prorogetur.

§. 4. In quacunque Eccleſia Defuncti corpus tumuletur, Parocho ſemper ſalua ſit quarta funeralium, iuſta ſacrorum Canonum diſpoſitionem. In reliquis cuſtodiri mandamus taxam, quẹ, ad lites euitandas, apud Eccleſiam Cathedralem, vel aliam loci maiorem ex ordinatione noſtra ſeruatur. Ad effugiendam verò multorum offenſionem prẹcipimus, vt cerẹ, & eleemoſyna- c. in noſtra de ſepult. in 6. c. certificari eod. tit.

Q rum

rum distributiones fiant à personis, à Nobis, vel Officialibus nostris eligendis, quæ eo loco, & tempore diuident, quod opportunius esse, ad prædicta scandala euitanda, existimauerint. Intortitia tamen, seù candelas numquam extingui volumus, nisi exequijs absolutis; & donec defuncti corpus recondatur, semper pro personarum qualitate, aliqua fax cerea ante ipsum ardeat.

Conc. Mediol. 1. p. 2. tit. de funerib.

§. 5. Defunctorum corpora nec domo efferantur, nec terræ mandentur, sine Parochi licentiâ, & nisi elapsis post obitum ad minus viginti horis: Feretro autem efferri illa non liceat ante solis ortum, aut post solis occasum. Qui repentina morte sublati fuerint, non nisi post horas quatuor, & viginti tumulo recondi volumus. Quòd si aliquandò peritorum iudicio, ad fætorem, & contagium euitandum, celeriùs humandi sint defuncti aliqui, noster semper, aut Vicariorum nostrorum expectetur consensus.

§. 6. Capitulo ad funera vocato, Canonici omnes, qui legitimè impediti non fuerint, aut Defuncto, primo, vel secundo affinitatis gradu coniuncti, accedere teneantur, sub pœna amissionis distributionum illius diei: & eelemosynæ, in funeribus persolui solitę inter pręsentes solummodò, & associantes diuidantur. Decernimus

nimus prętereà, Crucem Cathedralis, & Collegiatę Ecclesiæ efferri non posse, nisi maiori saltem Capituli parte pręsente.

§. 7. Sodalitates laicorum in funeribus insignia non erigant, neque vllum locum habeant, nisi duodecim saltem adsint Confratres, sacco induti; quod decretum in omnibus Processionibus seruari volumus, excepta societate Mortis, quandò ipsius sodales, ad pauperes sepeliẽdos accedunt, atq; excepta societate Sanctissimi Sacramenti, quãdò Eucharistia ad infirmos erit deferenda. In his enim casibus insignia propria vtramque sodalitatem extollere posse concedimus, quàmuis prædictus non congregetur Confratrum numerus.

§. 8. Pudor est, profectò pudor, temporibus nostris ità charitatem fideliũ refrigescere, vt nec ad Defunctorum delationem, nec ad Processionum solemnitates eo numero Societatum Confratres accedant, alijsq; muneribus defungantur, ad quæ adamussim adimplenda pro eiusdem sodalitatũ statutis tenentur. Hortamur propterea, ac in Domino Sodales omnes obsecramus, vt in mortuis sepeliendis frequenti comitatu conueniant, & sic inter se pietatis officia diuidant, vt opus misericordiæ, Deo gratissimum ad minùs duodecim statis diebus exercere possint: quod si

in hoc, & in Processionibus cõtumaces fuerint, ea pœna plecti volumus, quam Sodalitatis constitutiones eisdem comminantur.

c. detestãdæ de sepultur.

§. 9. Decedens aliquis, nulla facta sepulturę electione, in sepulcro maiorum suorum, si habeat, tumulatur; aliòquin sepeliatur in Ecclesia Parochiali: Peregrini autem, & aduenę in Ecclesia Cathedrali recondantur, iuxta consuetudinem.

§. 10. In omnibus Ecclesijs Parochialibus tres ad minimũ habeantur mortuis sepeliendis caueę, seù commoditates; vna scilicèt pro Parochis, & earumdem Ecclesiarum Rectoribus; altera ad recipiendos pauperes; Tertia pro infantibus baptizatis. Noui tamèn tumuli non ędificentur, absque nostra licentia: & numquàm fiant in Choro, aut intra fines maioris Cappellæ, aut propè Altaria; sed os sepulcrale ab Altarium scabello sex palmis distet.

§. 11. sepulcra omnia accuratè obserentur, ne fętorem exhalent. cureturuè, vt neque lapis, neq; anulus ferreus, neq; aliquid simile emineat supra Ecclesiæ pauimentum.

Clementin. de celebr. Miss. c. 1.

§. 12. Sacra Cęmeteria semper clausa retineantur, neque in eis pateat aditus deambulantibus, alijsq; profanis actionibus: & sic semper purgentur, vt nec arbores, nec vites,

nec

nec herbę, nec cętera, quę loci ſanctitati, ac religioni repugnant, in Cæmeterijs aſpiciantur.

§. 13. Caueant Parochi, ne in loco ſacro ſepeliant, vel ſepeliri permittant illorum cadauera, quæ ſecundum Pontificias ſanctiones in eo humari minimè licet, aliàs pœnis ſubiacebunt, à ſacris Canonibus impoſitis, alijſq; arbitratu noſtro infligendis.

§. 14. Poſtremò nec Canonicorum, nec aliorum Eccleſiaſticorum corpora extra Cathedralem Eccleſiam ſepeliri volumus; abſq. noſtra licentia, mandantes, vt in reliquis, ad impenſas funerales, & ſepulturas ſpectantibus in hac noſtra Ciuitate ſeruentur, quæ peculiari edicto, in Sacriſtia Cathedralis Eccleſiæ affigendo à Nobis præſcribentur.

De Sodalitatibus Laicorum CAP. XXVI.

DEploranda eſt temporibus noſtris Sodalitatum conditio: rarò enim accidit, vt Confratres cũ ea vnanimiter conſpirent voluntate, quę in animarum ſalutem, & Religionis incumbat augumentum, pròut ad hoc quælibet à Maioribus noſtris fuit inſtituta Societas Opera miſe-

misericordiæ in sepeliendis Defuntorũ corporibus omninò deseruntur: pauci charitatis officis vacant: Processionibus interesse nonnulli sacco erubescunt: & aliquandò ipsarum Sodalitatum bona, & prouentus tanta incuria administrantur, vt Officiales hominùm potiùs, quàm Dei negocium præ oculis habere, non sine maximo animarum suarum detrimento, videantur. Eà propter cupientes Nos tot ingruentibus quotidiè malis, & corruptelis opportunis occurrere prouisionibus, ac remedijs: In primis iubemus, vt nullę deincèps Confraternitates instituantur, absque sedis Apostolicę, aut nostra auctoritate; habeantq; singulę Societates Regulas proprias, à Nobis confirmatas, in aliquo patenti loco expositas; vt omnes Confratres eas sepius inspicere possint, & diligentèr obseruare.

Clemen. VIII. cõst. 115. Bull. tom 3.

§. 1. Sacco Cõfratres indutos arma gestare, aut in oratorium sine sacco inferre, omninò prohibemus. Qui verò, vbi Confratres ad tractanda Sodalitatis negocia congregantur, arma portare ausus fuerit, ipso facto incidat in excomunicationem, Nobis reseruatam.

Cõc. Nannet. 1., c. 15.

§. 2. Commessationes, & compotationes inter fratres Societatis expensis nullo modo fieri volumus, sub pœna priuationis officij ipso facto, vel à Sodalitate exclusionis.

§. 3.

§. 3. Caueant Sodalitatum, Montium pietatis, Hospitalium, aliorumq; piorum locorum Præfecti, siuè vt vulgò dicuntur Deputati, aut Depositarij, ne ex redditibus, vel minimam rem sibi accipiant, nec ad tempus, vel frumentum, vel pecuniam in propriosvsus conuertant, etiã animo, quandòcumq; opus fuerit, restituendi, sub pæna excomunicationis, ipso facto incurrenda, & Nobis reseruata: Itẽ abstineant se Officiales omnes ab illis expensis, quę aut pro superfluis notari possunt, aut supra ipsarum Societatum sint facultates, ne Deo, & Nobis etiam huius rei rationem reddere postmodum cogantur.

Conc. Senon de Visit. c. 29. Conc. Milerd. c. 40.

§. 4. Nullus vel Sacrista, vel Prior, aut cuiuslibet sodalitatis Syndicus facultatem sibi impostèrum concessam existimet in libris eiusdem societatis annotandi, aut ad eam arcessendi aliquem, qui priùs legitimis Confratrum suffragijs, & consensu, iuxta Sodalitatis statuta, approbatus non fuerit; aliàs huiusmodi annotatores ipso facto officio sint priuati, & sic Confraternitati adscriptus, eiusdem priuilegijs minime gaudeat.

§. 5. Bona, ad certum vsum Societatibus relicta ad alios vsus nõ conuertantur; & bona stabilia nulli ex Confratribus, vel alteri, primo, aut secundo consanguinitatis gradu alicui ex soda-

sodalibus copulatò, locari possint, sine nostra speciali licentia.

§. 6. Inter Confratres nullus, ad officia Societatis exercenda admitatur, qui vel pecuniã, vel aliud eidem Societati quacumque ex causa debeat; habeantq; Sodalitates omnes Inuentarium bonorum tàm mobilium, quàm stabiliũ, cuius exemplar adamussim, & integrè, vti supra de pijs locis statutum est, confectum, in Archiuio Episcopali semper asseruetur, sitq; pręcipua Vicarij generalis nostri cura, vt huiusmodi Constitutio, quoàd Inuentaria conficienda, & Cancellario nostro stato tempore tradenda, executioni mandetur.

Cõc. Mediol. 1. p. 2. tit de pior locor. admin.

§. 7. Nulli vmquàm Sodalitati eleemosynas publicè quęritare liceat, nisi facultate à Nobis in scriptis impetrata, & singulis quoq; annis renouanda. Quę verò eleemosynę à Societate pauperibus sunt erogandæ, curent ij, ad quos spectat, vt verè egenis, & miserabilibus personis distribuantur; quòd si secùs Parochi fieri viderint, id Nobis statim significent.

§. 8. Vestes pro vsu Societatis, quas Saccos vocant, apud se domi Confratres non retineant; sed in Societatis communi loco, vt vnusquisq; opportuno tempore eis vti valeant; & qui à Sodalitate abierint, vel eiecti fuerint, eas Sodali-

tati

tati dimittant. Albis verò Sacerdotalibus pro ſacco numquàm Confratres ſe ſe induant.

§. 9. Deuotionis ergò Confratres, ad aliquã viſitãdam Eccleſiam peregrè proficiſcentes, pro itineris impenſa nolumus Societatis redditus, aut cenſus erogari; ſed omnes ſumptibus proprijs ſibi proſpiciant: Graue enim crimen eſſet, vt quę in pauperum ſubſtentationem, vel in Societatis ornamentum, ac decorem ſunt impendenda, in Confratrum commoda deriuarent.

§. 10. Officiales, ad redditus, cenſus, & prouentus Societatis exigendos bonę conſciẽtię viri deputentur, qui præſtita priùs idonea cautione, à Confratribus approbanda, nullam prætermittant diligentiam, quò minus integrè muneri ſuo ſatisfaciant: aliòquin & illorum animas maxima culpa grauari ſciant, & ad Societatis damna proprijs bonis reſtauranda obſtringi; cui negocio, vt omni ſtudio ſe det, Vicario noſtro generali mandamus.

§. 11. Abſoluto verò ab officialibus exactionis miniſterio, rationes ſucceſſoribus in officio, vel rationalibus, à ſocietate eligendis, præſente Vicario Generali, aut foraneo reddantur: aliòquin huiuſmodi rationes pro nullis haberi volumus.

§. 12. Si quis autèm officialis poſt rationem,

vti suprà redditam, debitor remanserit, citra decem dierum spatium debito se se exoluere teneatur, aliàs à sodalitate remotus intelligatur; & eius contumaciam quàmprimum à successoribus ad Nos, vel Vicariumnostrum generalem deferri prçcipimus, vt pœna etiam carceris, si opus fuerit, ad satisfaciendum cogatur.

§. 13. Administratores bonorum societatis non possint de illis ad libitum disponere; & bona eiusdem sodalitatis non locentur ad longum tempus; & quæ iam diù authoritate Apostolica locata sunt, cum ad eam reuersa fuerint, amplius non concedantur, absque nostra licentia, in scriptis obtenta. Vt autèm in locationibus, ad breue tempus faciendis, nulla vmquàm fraus committatur; nonnisi propositis bannimentis, & publicis edictis fiant, præstita semper á conductore legitima cautione; ne de suo satisfacere teneatur, qui secùs ac decernimus, eiusdem societatis bona concesserit.

§. 14. In reliquis decet Confratres omnes, quæ ad Sacrorum Hymnorum, Officij Beatæ Virginis, aliarumque orationum recitationem, & Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti frequentiam, cæterorumq; piorum operum vsum pertinent, tanta religione, ac diligentia, iuxta cuiuslibet societatis decreta, exequi, vt à Deo

per

per eius Sancti, ſub cuius patrocinio militant, interceſſionem, miſericordiæ ſuę diuitijs locupletari mereantur, & quotidiè magis ad Dei laudem, & animarum ſalutem vberiorem in Domino progreſſum facientes, cæteros etiam exemplo ſuo ad meliorem excitent frugem.

De Hoſpitalibus.
CAP. XXVII.

QVis Catholicorum ignorat, maximam eſſe apud Deum hoſpitalitatis gratiam, cum nec potus aquæ frigidę à pręmijs remunerationis ſit immunis? Abraham Deum recepit hoſpitio, dùm hoſpites quærit, & qui huiuſmodi miſericordię opus exercere neglexerint, meritò in auribus eorum terribilis illa vox Domini reſonabit: Hoſpes eram, & non collegiſtis me: quia Chriſtus in paupere eſt. D. Ambroſ. de Offic. Matth. c. 25.

§. 1. Vt igitur gratiſſimum Deo obſequium, qua poſſit maiori pietate à fidelibus, Nobis ſubiectis, in pauperibus ipſimet Chriſto impendatur: talis ſemper in Hoſpitalarium renuncietur vir, cuius fides, pietas, morũ integritas, diligẽtia, charitas proborum hominum teſtimonio commendetur, & experimento aliàs probata ſit: qui

Conc. Se- non.de Vi. ſitat.c. 29. etiam omnem afferat conatum, & ſtudium, ad excipiendos Chriſtiana cum miſericordia pauperes, & infirmos; curetq; maximè, vt Hoſpi- Cõc. ſabin c. 14. talis bona, & iura abſque detrimento vllo conſeruentur, ſemperque, iuxta ſacros Canones, c. quia cõtingit de Religioſ. domib. in Clement. iuramentum præſtet, de adiminiſtratione integrè, ac fideliter peragenda, antequam ipſi miniſterio ſe ſe immiſceat.

Cõc. senõ. d. c. 29. de Viſit. §. 2. Idem Hoſpitalarius caueat, ne hoſpitalis bona, & redditus in ſuum transferat vſum; neq; ab aliquo ex receptis in hoſpitio quicquam petat, aut accipiat, etiam ſpontè oblatum.

§. 3. Cum verò Hoſpitalium Miniſtri deputentur, vt eorum, quorum habent curam, non priuatis vtilitatibus proſpiciãt. pauperibus ſemper, iuxta Hoſpitalis inſtitutum, neceſſaria impendant, officiumq; charitatis perſoluant, prouidentes, vt cubilia ſint munda, nec ad propriũ commodum illis vtantur.

d.c. quia contingit de relig. domib. §. 4. Infra terminum ſuperiùs in cap. de Bonis Eccleſiæ non alienandis, ſtatutum, fiat ab eis Inuentarium bonorum Hoſpitalis mobiliũ, & ſtabilium, cuius copia, ad formam præſcriptam, ad Nos tranſmittatur.

Cõc. Colõ 2. p. 11. c. 6 §. 5. Cum ęgroti Medici iudicio, atq; peritia benè conualuerint, ab Hoſpitalario dimittãtur: ità tamen hoc fieri volumus, vt ſemper charitatis

tis, & misericordiæ ratio prę oculis habeatur.

§. 6. Animaduertat Hospitalarius, ne hospitio susceptí in aliquo peccent contra Christianam pietatem, ac Religionem. d. Concil. Colon. p. 11. c. 2.

§. 7. Mulieres iuuenes, etiam si Hospitalariorum sint vxores, in hospitali non morentur: & nisi expressè constet de matrimonio, fęminas cum viris dormire hospitalarius non permittat; nec pueros cum maioribus natu; nisi eos genuisse manifestè probetur. Conc. Mediol. p. 2. tit. de pior. locor. administr.

§. 8. In reliquis quoàd bonorum locationem, reddituum rationem reddendam, & cętera, adamussim seruentur ea omnia, quæ de sodalitatũ bonis decreta sunt, & alia etiam statuta custodiantur, quæ à nobis vel facta, vel fuerint confirmata pro recto eorumdẽ Hospitaliũ regimine.

§. 9. Monemus deniquè Hospitalarios eius loci, cui recipiendi infantes expositos cura incumbit, vt omnem nauent diligentiam, atque operam, ne ipsimet infantes fame necentur; Quod vt arceatur, statuimus, eosdem Hospitalarios teneri, primùm ac in hospitali aliquis infantulus expositus fuerit, ac receptus, in libro, ad hoc tantùm parato, sub certo die, mense, & anno eius nomen describere, ac etiam Nutricis nomen, cui tradetur nutriendus, vt semper, & pueri, & Nutricis notitia haberi possit.

De

De Montibus Pietatis, & Frumentarijs.

CAP. XXVIII.

NOn absurdè pia loca, quibus pauperum inopiæ consulitur, ne impia fœnorum voragine deglutiantur, Pietatis Montes appellari consueuere. Quemadmodùm enim è montibus in valles descendunt pluuiæ, ad terram quandoquè irrigandam: sic ab hisce montibus pietas, & beneficentia in pauperum sinum, qui veluti valles sunt in hoc mundo, comparatione diuitum, & potentum, deriuatur.

§. 1. Pro recta igitur horum Montium administratione decernimus, vt nulli ea committatur, nisi priùs iure iurando in manibus nostris, vel Vicarijs Generalis, seù Foranei in Diœcesi se se obstrinxerit, fideliter omnia, atque accuratè administraturum, idonea etiam præstita cautione, de eorumdem montium indemnitate semper seruanda

Conc. Mediol. 1. p. 3. tit. de pi or. locor. admin.

§. 2. Ad huiusmodi autèm ministerium pertractandum eligantur probatæ vitæ, ac fidei viri, qui vt certiùs sciant, quomodò Montium Pietatis bona integrè custodienda erunt, ne scilicèt

ſcilicèt in pauperum miſerabilium detrimentum pereant, Bullam Pauli Quinti Summi Pontificis præ manibus habeant, eiuſque diſpoſitioni in omnibus obtemperent. 82. Bullar. tom. 3.

§. 3. Singulis quoque annis rationem adminiſtrationis reddere coram Nobis, vel Vicario noſtro Generali, & in Diœceſi coram Vicario foraneo teneantur, præſentibus ſemper Rationalibus, a Communitatibus loci renunciandis. Cōc.Trid. ſeſſ.22.c.9 de Ref.

§. 4. Quietationes verò poſt rationes adminiſtrationis redditas, ſine noſtra, vel Vicariorum noſtrorum auctoritate firmatæ, nullæ omninò ipſis Montium Præfectis ſint, & nullatenus eis ſuffragari volumus, iuxta S. Conc. Trid. decretum.

§. 5. Pœnam ſubeat excommunicationis, ipſo facto incurrendam, à qua niſi à Romano Pontifice abſolui poterit, quicumque abſque Sedis Apoſtolicæ licentia Montium pecunias tàm pro ſorte principali eiſdem à primæua inſtitutione aſſignatas, quàm pro dictæ ſortis augumento poſtmodùm acquiſitas, in alios, quàm pauperum vſus, iuxta formam in erectione præſcriptam, aut conuerterit, aut diſtraxerit; etiam cum obligatione intra quodcumque breuis temporis ſpatium ipſas reſtituendi, aut ſub quouis alio prætextu, vel quæſito colore, quæ Paul V. d. conſt.82.

omnia

omnia à prȩcitatȩ Bullȩ dispositione reijciūtur.

§. 6. Cum quilibet Pietatis Montes in pauperum subsidium sint instituti; caueant ipsorum Præfecti, ne frumentum, pecuniæ, & cætera Montium bona, alijs quàm verè indigentibus, omni sinceritate erogentur.

§. 7. Nemini omninò pecuniæ Montis tradantur; nisi super pignoribus realitèr depositis, & pignus depositum semper excedat in valore duplum pecuniæ mutuatæ. Quòad verò quantitatem pecuniæ, pro pignoribus mutuò dandam, & eadem pignora opportuno tempore vendenda, aliasque res, ad Montium conseruationem, atq; indemnitatem pertinentes, seruentur statuta, constitutiones, & consuetudines, nostra auctoritate probatæ, & confirmatæ, quod etiam intelligi volumus de Montibus frumentarijs, tùm in Ciuitate, tùm in Diœcesi constitutis, in quorum administratione, & dispensatione custodiri mandamus, quæ nuper à Nobis emanarunt edicta.

§. 8. Arma cuiusuis generis, aut libri in pignus non recipiantur, non enim facilè hȩc redimuntur, aut emptor illorum inuenitur; quique in hoc deliquerit, cui recipiendorum pignorum munus incumbit, proprijs pecunijs Monti satisfaciat, & arma, & libros sibi accipiat.

§. 9. Mon-

§. 9. Montis pecuniæ pro rebus publicis minimè mutuentur; difficilis enim eſt illarum exactio, & interim pecunia ſibi debita Monte deſtituto, magnum in pauperes deriuari poſſet detrimentum.

§. 10. Cupientes etiã fraudibus occurrere, quæ in pignorum commutationibus aliquo modo perpetrari poſſent; præcipimus, vt acceptis à quouis ſuper varia pignora diuerſis pecuniarum quãtitatibus, meliora pignora releuari non valeant, deterioribus relictis; neque vlli permittatur pignora depoſita mutare, & alia illorum loco ſubſtituere; ne hiſce in commutationibus damnum aliquod ipſi Monti inferatur, ſuper quo, & ſuper alijs præmiſſis decretis, vt nulla in caſu erroris prætendi poſſit ab Officialibus, ſiuè Depoſitarijs excuſatio, ſemper per ſe, non per interpoſitam perſonam, quę ſui muneris ſunt, exequatur.

§. 11. In termino verò, ſuperiùs ſtatuto, conficiant Inuentarium omnium bonorum, præcipuè ſtabilium, Montis, Cancellario noſtro tradendum, ad formam pręſcriptam, & ſummo ſtudio cuſtodiant libros, in quibus pignora deſcribuntur; ſingulo quoq; menſe eadem pignora recognoſci, & à puluere excuti curent; nè ipſorum culpa pereuntibus, proprijs ſumpti-

bus Montis damna reparare taneantur.

§. 12. Ad redimenda pignora tempore, iuxta Montium constitutiones, elapso, absque vlla alia mora plus offerenti vendantur, & pretium, quod Montis satisfactioni superererit, ipsi pignorũ domino restituatur. Quòd si Præfecti in hoc negligentes fuerint, quicquid perierit, eorum, non Montis damno perire, decernimus.

§. 13. Deniquè statuimus, nemini licere Montis pignora redimere, vt illa vno, eodemque tempore, vel breui interuallo iterùm in pignus tradantur: Ex hoc enim eueniret, vt numquàm vendi possent; quod profectò in magnum ipsius Montis detrimentum verteretur.

De Monialibus
CAP. XXIX.

Virginitatis quantę sunt laudes! Supergreditur humanæ naturæ conditionem Virginitas: nec immeritò quæ non nubunt, nequè nubentur, erunt sicut Angeli Dei in Cęlo; quia in carne præter carnem viuere, & de carnis concupiscentia gloriosum semper reuehere triumphum, non terrena virtus est, sed cęlestis. Verùm si, Apostolo teste, Virginum est, cogi-

cogitare, quę Dei sunt, & quomodò placeant Deo: maiori profectò sollicitudine in hanc cogitationē incumbere Virgines oportet, quas annulo suo subarrhauit Dominus IesusChristus, & propter Virginitatis votum, tamquàm sponsas corona decorauit. Sint igitur sacræ Virgines nostrę sanctę corpore, & spiritu: Obliuiscantur populum suum, Abijcientes scilicèt omnes vitę sæcularis mores, & studia. Integra fide, solida spe, siyncera charitate Agnum sequantur, quòcumque ierit: Comitem habeant indiuiduum pudorem, tamquàm cęterarum virtutum ducē, ac rectorem; vt postmodùm de carnis ergastulo egressę, & delicijs omnibus affluentes inniti mereantur super Dilectum suum, & cum eo, Cælitibus omnibus plaudentibus, castissimas nuptias in ęterna gloria celebrare.

§. 1. Et quia inter virtutes, sacris Virginibus conuenientes, primum sibi vendicat locum obedientia: singulis Monialibus strictè præcipimus, vt Regularum suarum instituta fidelitèr obseruent, & qua decet modestia excipiant, ac pari diligentia nostras exequeantur ordinationes. Monasterij etiam Abbatissę, seù Præfectæ, iuxta earum votum, in omnibus semper obtemperare studeant, eiusq; voluntati numquàm aduersentur, etiam si alicuius pœnitentię salutaris c. dilecta Filia de Maior. & obed.

 imposi-

impoſitione illarũ velit negligentias corrigere, atq; emendare; ex tunc enim non Præfectę, ſed Deo in eius perſona obeditur, & impeditur obſequium.

§. 2. Diuini Officij recitationi, Miſſę, mentali orationi, alijſque ab earum Regula præſcriptis ſuffragijs omnes interſint; cumque hęc peraguntur, nulla, licèt exempta pręſumat, vel locum colloquij publicum, vel feneſtras Eccleſiæ adire, & cum aliquo, etiam noſtram licentiam deferente, ſermonem habere, ſine legitima cauſa, & abſque Abbatiſſę permiſſu: Quę enim tempora, ad laudes Deo perſoluendas, ſunt dicata, nefas eſt, vt ſęcularibus negocijs terantur.

Cõc. Cabilon. 3. c. 59.

§. 3. Vbi in Eccleſijs Monialium, etiam exemptarum aliquòd Feſtum celebratur; ità res diſponantur, vt omnes Eccleſiaſticæ cæremonię, ac officia ante ſolis occaſum finem habeant, ſub pœnis ad arbitrium noſtrum, ſi ſecùs factum fuerit.

§. 4. Muſicalem concentum nullo modo fieri à Monialibus volumus extra diuina Officia, foribus Eccleſiarum patentibus, aut ad crates, vel Collocutorij ianuam; & neque dum ſacrum celebratur, canantur, quæ ſunt Hetruſco, ſeù vulgari ſermone compoſita: Virgines enim in canendo ſibi proponere debent B. Cæciliæ exem-

c. docta extr. de vita, & honeſt. Clericor.

exemplum, quæ decantantibus organis, suauissimè soli Deo decantabat.

§. 5. Quoniam Virginum est, etiam vestimẽtorum modestia, virtutum fragantem spirare odorem; curet Abbatissa, vt puellæ, Monasterium ingressuræ, omnibus pompis, ac vanitatibus abrenuncient, & solum pietatis, ac virtutis experimento ad religiosæ vitæ institutum erudiantur.

§. 6. Comædias, ac fabulas, siuè, vt vulgò dicuntur, Repræsentationes, prosa, vel metro compositas, etiam sacras Monialibus recitare non liceat, quæ prius à Nobis approbatæ non fuerint. Quandò vero propter hæc habitu sæculari eis vti contigat, exterorũ quorumcumque prospectum euitent.

§. 7. Ab ipsis mundi pompis, leuibusque corporis, ac capitis ornamentis eò magis abstinere debent Moniales, quæ Christo iugatæ principi honestis tantùm cogitationibus eius gratiam inire possunt; pro omnique cultu sufficiat, vt & Virginitatis insignia gestent, & Angelorum nomine, vt iàm dictũ est, in terris nuncupentur. c. attendẽtes de stat. Monac. in Clem:

§. 8. Humani generis exitium à libertate vnius mulieris ortum duxit, quæ si modestiam, ac silentium, conditioni eius proprium tenuisset, nec nimiùm curiosè serpentem alloqui voluisset; profe-

profectò neque ipsius serpentis astus potis erat, vt eã, ad legem Domini violandam fraudolentis blanditijs, ac promissionibus attraheret. Cupiẽtes igitùr, vt quę sunt illustrior Gregiis nostri portio, ab huiusmodi discrimine omninò reddãtur immunes: quibusuis, & singulis Monialibus, etiam exemptis Mandamus, vt quam vsque ad huc, magna sui nominis honorificentia, exhibuerunt in publico colloquiorum loco modestiam, atque pudorem, diligentissimè cõseruent: nullumque sub pœna excommunicationis, Nobis reseruatę, ac ipso iure incurrendę alloqui audeant, absque nostra licentia, in scriptis obtenta, atque Abbatissę ostendenda, exceptis tamen Patribus, Matribus, fratribus, ac sororibus, fęminis nobilibus, alijsque bonę fame mulieribus, colonis, laboratoribus, & prædictorum famulis; declarantes, eamdem excommunicationis sententiam, vti supra, omnes, & singulas Moniales, atiam exemptas, subituras, si sermonem cum aliquo ex prædictis exceptis habuerint ad portam Clausuræ, quam numquam volumus aperiri, nisi ex vrgenti necessitate, & cum præsentia Abbatissæ, vel eius Vicariæ, quæ huiusmodi decreto, propter Monasterij negocia, minimè alligantur.

Conc. Rauen. 3. post Clem. V. c. 11. Cõc. Trid. sess. 25. c. 5 de Ref. Reg. & Monial. Decret. S. Congr. Cõc. Trid. Interp. 15. Ian. 1615. Gratian. discep. foren. c. 393. n. 22. cum ibi cit.

§. 9. Qui verò ex hominibus sæculi tàm contumax

tumax fuerit, vt ſine noſtra licentia Collocutorium publicum ingredi, ac cum Monialibus loqui præſumpſerit, vltra pœnas pęcuniarias, etiam alijs ad arbitrium noſtrum, grauiter ſe nouerit puniendum.

§. 10. Ratione conſaguinitatis, vti ſupra ſtatutum eſt, ad Monaſteria accedentes, nullam aliam, niſi conſanguineam Monialem huiuſmodi prætextu vocēt in colloquium, alioquìn & ipſa Monialis excommunicationi, & illi tranſgreſſorum pœnę ſubiacebunt. Cōc. Arelat. 4. c. 7.

§. 11. A prima Dominica Aduentus, vſque ad Feſtum Natiuitatis Domini, & à feria quarta Cinerum, vſque ad Dominicam Reſurrectionis, itèm & in omnibus alijs diebus feſtis de præcepto, nulli licentiam aliquam, aut conſanguinitatem ſuffragari, volumus. Conc Mediol. 1. p. 3. tit. de Claus, & c. Monial.

§. 12. Abſolutis in Eccleſijs Monialium Miſſarum ſacrificijs, ianuę ferialibus diebus ſemper obſerentur, & Collocutorij publici portam claudi mandamus ante ſolis occaſum, & aperiri in ſolis ortu, ſub pœnis ad arbitrium noſtrum, aſſeruante iugitèr omnes claues Abbatiſſa, ſeu Pręfecta.

§. 13. Auſcultatrices, quę maturę ętatis ſunt eligendę, nullo ſub prętextu Dominicis, alijſque de præcepto feſtis diebus pręſertim tempore diuino-

diuinorum officiorum vocare Moniales audeant ad colloquendum in ſolito Collocutorio, quicumque ſit, qui inſtet, etiam ſi noſtra exhibeatur licentia, ſub pœna in hoc caſu priuationis Vocis actiuæ, & Paſſiuæ, alijſq; ad arbitrium noſtrum. Porrò colloquentibus in cæteris diebus ità aſſiſtant, vt vniuerſa dicta, factaq; audire poſſint, & videre.

Conc. Mediol. 1. p. 3. tit. eod.

§. 14. Cura etiam Auſcultatricibus incumbat, cum Confeſſarius, aut Medicus, vel Chirurgus Monaſterij clauſuram ex neceſſitate ingrediuntur, ſignum Campanulæ dare, vt Moniales à conſpectu eorum ſe ſubducant, & ſemper adeſſe, quandò frumenta in horreris, aut vina in cellis reconduntur, vel alia ſimilia fiunt, quorum miniſterio numquàm Moniales iuuenes præponi, iubemus

S. Cong. Cōc Trid. 13. ſeptēb. 1583.

§. 15. Quibus verò vel animarum, vel corporum curandorum, sèu domeſticæ rei pertractandæ cauſa intra ſepta Monaſterij ingredi permiſſum fuerit, ſciant, non ſibi licere aliò diuertere, quam quò neceſſitas eos compellit; nec facultatem vllam illis conceſſam declaramus, niſi orto iam Sole, & ante eius occaſum in clauſuram intrandi.

Conc. Mediol. d. loco.

§. 16. Rotariæ, ac Ianitrices nullarum literàs deferant, abſque Præfectæ licentia, quę, vt

mune-

muneri suo satisfaciat, omnes aperire tenetur.

§. 17. Cum libri amatorij, venena sint, quæ sanctas mentes dulciter corrumpunt, morum integritatem destruunt, rectamquè dissoluunt disciplinam; singulis Monialibus præcipimus, vt ab eis, alijsque profanis, & quod absit, obscenis voluminibus se abstineant, numquamuè aut accipiant, aut apud se habeant: Mandantes insùper, nouos libros in Monasterium deincèps non introduci, qui priùs à Confessario probati non fuerint. Canes verò intra Monasterium, nec teneantur, nec admittantur. id. Conc. Med. ibid.

§. 18. Quod paupertatis votum Moniales professæ sunt, opere etiam implere satagant; nihil scilicèt proprij possidentes, sed in solita capsula pecuniam deponentes: & præcipuè abstineant se à largitionibus, iuxta pręscriptum Bullæ Clementis VIII., ne quod alijs prodest, in suarum animarum exitium conuertatur. Cōc. Trid. sess. 25. c. 2. de Ref. Regul. & monial. const. 28. Bull. tom. 3.

§. 19. In Ecclesijs Monialium nullus Sacerdos, etiam Regularis sine nostra licentia Missas, aut alia celebret officia, aut conciones habeat; neque deindè habitæ facultatis prętextu vllam ex Monialibus alloqui præsumat, sub grauibus pœnis, ad arbitrium nostrum. Greg. XV. const. 18. Bull. tom. 3.

§. 20. Postremò nouerint omnes, Sanctam Trid. Synodum Anathemati subiecisse omnes, sess. 25. c. 18. de Ref.

T   & sin-

& ſingulas perſonas, cuiuſcumque qualitatis, vel conditionis fuerint, ſi quomodocumque coegerint aliquam Virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, præterquàm in caſibus, à iure expreſſis, ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum, aut ad profeſſionem emittendam; quiquè conſilium, auxilium, vel fauorem dederint: quiq; ſcientes, eam non ſpontè ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint; aut ſanctam Virginum, aliarumque mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo ſine iuſta cauſa impedierint.

Seſs. 25. 15. 16. & 17. Vt verò libertati puellarum Virginum conſulatur, ſeruentur, quæ ab eodem S. Conc. ſapientiſſimè ſtatuuntur.

§. 21. Non valeant Moniales de quacumq; re inſtrumenta, vel contractus conficere, neq; pecuniam mutuo accipere, neque aliquod ædificium incipere, licentia à Nobis, vel noſtro generali Vicario, aut Foraneo priùs non obtenta; aliàs inſtrumenta, abſque noſtro conſenſu celebrata, nulla, & inualida declaramus.

De

De Medicis.

CAP. XXX.

NOn possumus non vehemènter conqueri de insana, immò potiùs impia quorumdam consanguineorum erga ægrotantes commiseratione, qui, ne eos timore mortis exagitent, certa spe salutis ità firmare nituntur, vt aliquandò, superueniente obitu, etiam absque Sacramentorum participatione ex hac vita decedant. Vt igitur hisce nimiùm grauibus malis opportunè prospiciatur, decernimus, Medicos, antequàm curandorum ægrotantium onus suscipiant, ad eos admonendos teneri, vt idoneo Confessario peccata sua confiteantur, & cælestem priùs, quàm humanã appetant medicinam: quibus renuentibus, & terna visitatione completa, ex Constitutione Sanctissimæ memoriæ Pij V. illorum curam deserant, nec ad eam reuertantur, quoadusquè certò non sciant, Pœnitentiæ Sacramentum infirmos suscepisse.

Conc. Rauen. 2. sub. Clem. V. can. n. 15.

Const. 3. Bull. tom. 2. & nupèr S. D. N. Alex. VII. 1659.

§. 1. Et quia hæc omnia à Medicis inuiolabiliter seruari desideramus; Medicæ artis facultatem in nostra Ciuitate, ac Diœcesi exercere non valeant, donèc in manibus Vicarij nostri generalis, aut Foranei iureiurando se se obstrin-

Pius V. d. cõst. §. 6.

xerint, ad præfatam Pij V. Constitutionem custodiendam.

§. 2. Meminerit etiam Medicinæ, ac Chirurgiæ professores, quibus pœnis obnoxios se reddant, si medicamenta prægnantibus mulieribus ad fætus animati abortum propinent: & alias quoquè pœnas ad arbitrium nostrum incurrant, volumus, etiam si abortus quęsiti non sequatur effectus: vtque charitatis officium in ægrotantes adimpleant, eos hortamur, ne Parocho indicare grauentur, quem morbo laborantem inuiserint: hac enim notitia & ipse præstò esse poterit, ad suppeditanda ægroto remedia, quæ ad eius animæ pertineant salutem.

Sixtus V. const. 87. Bullar. t. 2.

§. 3. Clericis vulneratis facultatem suam Chirurgi accommodantes, Nobis, aut Vicario nostro, saltèm Foraneo denunciare eos teneantur; quod & præstent, si ad vulneratos sanandos à Clericis medicamina adhibeantur.

De Meretricibus, & Concubinis.

CAP. XXXI:

A Pudoris, atque honestatis ratione alienum est, vt quæ mulieres sordidissimi quæstus

quæſtus gratia proſtant, in locis habitent, virorum concurſu frequentibus, aut inter honeſtas ſe ſe immiſceant fæminas.

§. 1. Præcipimus itaquè, vt ipſæ publicæ Meretrices domos non conducant, niſi ab hominum frequentia, Eccleſijs, Monaſterijs, atq; honeſtis vicinijs, tùm in Ciuitate, tùm in Diœceſi remotas: Quæ verò in hoc deliquerint, exilij pœna à tota Diœceſi punientur.

Conc. Mediol. 1. p. 2. tit. de Meretricib.

§. 2. Ab initio Sacratiſſimi Domini noſtri Aduentus vſque ad eius Natiuitatem, & à feria quarta Cinerum vſque ad totam Octauam Paſchatis Reſurrectionis, nemo cuiusuis gradus, ſtatus, aut conditionis exiſtat, quouis prætextu, vel quæſito colore, tàm interdiù, quàm noctu conuerſationem habere cum meretricibus audeat, ſub pœnis in edicto, quod ſingulis annis emittitur, contentis.

§. 3. Non liceat Meretricibus, etiam exteris in meritorijs, tabernis, vel publicis cauponis, niſi per vnam tantùm noctem hoſpitij cauſa commorari, pœnaſque, arbitrio noſtro infligendas Caupones, & Tabernarij, incurrent, ſi tunc temporis cum eiſdem malæ vitæ mulieribus aliquem dormire permiſerint.

Conc. Mediol. ibid.

§. 4. Pœnas etiam arbitratu noſtro intentamus contra illas Meretrices, quę Eccleſiam Cathedra-

thedralem, dum à Nobis Pontificalia exercentur, aut Ecclesias Monialium quouis tempore, etiam pietatis ergo ingredi ausę fuerint.

§. 5. Et quia in quantùm possumus, cupimus, vt in nostro dilectissimo populo, omni libidinis fęditate depulsa, decus resplendeat pulcherrimę honestatis: Mandamus Parochis, vt ad Nos statim deferant Concubinarios illos, tàm solutos, quàm vxoratos, qui legitimè admoniti concubinas non eiecerint, & ab illarum conuersatione non destiterint: seuerè enim contra eos procedemus iuxta S. Conc. Trid. dispositionem.

Sess. 24. c. 8. de Ref. & sess. 25. c. 14. Ref. de

§. 6. Coniugatę verò Mulieres, aut solutę cum coniugatis habitantes, si ter monitæ non paruerint, carceris arbitrio nostro, & exilij à tota Diœcesi pænam ipso facto incurrant.

Conc. Turon. c. 4. 10.

§. 7. Ad suscipiendum Eucharistiæ Sacramentum nullatenus à Parochis Concubinarij, & Concubinæ admittantur, nisi eos ab inuicem esse separatos, constet.

Cōc. Trid. l. d. Conc. Mediol. 1. p. 2 tit. quę pert. ad Sacram. Euchar.

De Blasphematoribus:
CAP. XXXII.

super illud Mat. Blasphemauit.

GRauissimum Blasphemiæ scelus, quod, ex sententia D. Augustini sacrilegio illorum

lorum comparatur, qui Chriſtum, in terris ambulantem, crucifixerunt, vt à noſtra Ciuitate, ac Diœceſi, quantum per Nos ſtat, elimineturs Decreta in Conc. lateran.ſub leone X. & Pij V. Conſtitutionem de pœnis Blaſphemantium inuiolabiliter obſeruari,mandamus,ſcilicèt.

§. 1. Clericus,prima vice de execrabili Blaſphemiæ crimine conuictus vnius anni fructibus Beneficiorum priuetur:ſecunda vice Beneficium ipſum amittat: tertia ad alia beneficia obtinenda inhabilitatem incurrat.

Qui autem Beneficium non habuerit,pro prima vice pœna pecuniaria, iuxta perſonæ qualitátem, mulctetur, pro ſecunda carceri ad arbitrium Iudicis, & pro tertia etiam ad triremes damnetur.

§. 2. Laici Blaſphemantes, atque ſemèl in hoc ſcelere deprehenſi, ſcuta 25. in pios vſus eroganda, perſoluant, ſemperque pœna duplicetur, ſi pluriès eodem crimine legitimo iudicio notentur,addita etiam infamiæ,titulorumq, ac Magiſtratus priuationis mulcta, alijſq; pœnis, iuxta Iulij 3. Conſtitutionem.

Qui verò ſoluendo non ſint,luant in corpore delictum, aut publicæ fuſtigationis, vel triremium, aut alijs ad arbitrium noſtrum pœnis.

§. 3. Audientes quemcumque hæreticales

Blaſ-

Blasphemias euomere, si infra tempus, à iure statutum, ad Nos, vel alios Sacræ Inquisitionis Ministros non deferant, pœnis subiacebunt, à lege contra eos præscriptis.

§. 4. Postremò meminerint Confessarij, haud leuibus pœnis tractandos esse Pœnitentes Blasphemos, & præcipuè si eos in tam detestabile peccatum sæpiùs labentes compererint.

De Superstitionibus, & Maleficijs CAP. XXXIII.

SVperstitionibus obnoxij nihil aliud agunt, quàm synceræ Religioni aduersantes, Diabolo adhærent, & veritatis lumen, & authorem deserentes, pessimo consilio illum sequuntur, qui à falsis promissis pater mendaciorū appellatur.

§. 1. Singularē propterea Parochi conferant sollicitudinem, atquè studium, vt à fidelium mentibus superstitionis Zizania euellantur, atq; radicitùs extirpentur: sique superstitiosum aliquid fieri inter Oues suas audierint; Nobis, absque vlla mora, denuncient, vt opportuna decernentes medicamenta; malum hoc longiùs progredi non sinamus.

D. Greg. lib. 12. Epist. 13.

§. 2. Qui

§. 2. Qui magicis incantationibus, nodis, verbis occultis, caracteribus, alijsque diabolicis artibus mentes hominum, aut corpora perturbare, morbos expellere, vel inducere, naturæ actiones impedire, ventis, tempestatibus, atque mari imperare se se posse profitentur, pœnis subicijãtur, à sacris Canonibus cõstitutis. Sixt. V. const. 17. Bullar. t. 2.

§. 3. Easdem pœnas incurrant volumus, qui res quascumque ad maleficia parauerint, exhibuerint, vel certa scientia ministrauerint, aut ipsa maleficia procurauerint, eisquè assensum prębuerint.

§. 4. Hortamur postremò Cõfessarios omnes, vt vbi pęnitentes, & mulierculas pręcipùe, quę supra cęteros in hoc delinquunt, alicui superstitioni, fidem adhibuisse inuenerint, eos grauiter obiurgent, & superstitionibus omninò reiectis, tàm in ęgritudinibus, quam alijs in rebus Deum consulant, & eius auxilium implorent, qui potens est omnem gratiam abũdare facere in nobis, & omnium diuinorum, somniatorum, maleficorumque iudicia irrita semper facit. D. Paul. 2. Cor. 9. Es. 44.

De Iudicibus Synodalibus.

CAP. XXXIV.

Sess. 25 c. 10. de Ref.

ADmonet ſacroſancta Triden. Synodus omnes Iudices Synodales, quibus cauſę Eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticũ pertinentes delegantur, vt in eis terminandis, quanta fieri poterit, breuitate, vtantur, ac litigatorum artibus modis omnibus, & competenti ratione occurrant. Idem etiam præſtari cupimus à Iudicibus, in hac Diœceſana Synodo noſtra, ad id renunciatis, vt & ipſorum integritas, & noſtrum iudicium màgis, ac màgis commendetur.

Iudices Synodales. Admod. Reu. DD.

Petrus Philippus Florentius I.V.D. Archidiaconus

Antiochus Honuphrius I. V. D. Flaminius Guarnerius I. V. D. Philippus Pinus I. V. D.	Cath. Eccl. Canonici.

De

De Examinatoribus Synodalibus.

C A P. XXXV.

CVm grauissimo negocio fungantur, qui Examinatoris officium sustinent: ex illorum enim iudicio, atque sententia maxima Ecclesię vtilitas, & eorum, qui Ecclesijs vacantibus pręficiendi sunt, Pastorum, ouiumque salus plerumque dependet; tàm integrè semper, & tàm difficiles in approbatione ad curã animarum promouendorũ Examinatores nostros se se gerere cupimus, vt nihil aliud ob oculos habeant, quàm vineę Domini vberrimum fructum, ac singularem decorem.

§. 1. Et quia Synodales Examinatores etiam examini eorum, qui vel ad minores, aut sacros ordines, aut ad Confessarij ministerium assumi desiderant pro nostro consensu interesse consueuere; de ipsorum doctrina, prudentia, atq; integritate plurimùm in Domino confidimus, vt nostram, suamq; conscientiam hoc in opere exercendo copiosè sint exoneraturi. Cõc. Trid. sess. 24. c. 18. de Ref.

§. 2. Examen numquam inchoetur, nisi pręuia oratione, & nisi Nobis, vel Vicario nostro

generali cũ tribus saltèm Examinatoribus præsentibus iuxta S. Conc. Trid. decretum. Examinatorum verò officium hac in Synodo electorum duret, donec altera Synodus habeatur.

Examinatores Synodales Adm. Reu. DD.

Diaiutus de Ditaiutis I. V. D. modò Vicarius generalis

Petrus Philippus Florentius I. V. D. Archidiaconus

Antiochus Honuphrius I. V. D. Canonicus

Flaminius Guarnerius I. V. D. Canonicus

Philippus Pinus I. V. D. Canonicus

Andreas Martorellus I. V. D. Canonicus Pœnitentiarius

P. Eusebius Vbaldus Siluestrinus S. Theologiæ Magister

P. Bernardus Buttarus Min. Con. S. Theologiæ Magister

RR. DD. Angelus Gentilonus Archipresbyter Cingulanus

Iustinianus Gentilonus de Monte philoptrano I. V. D.

Andreas Todinus Appinianensis I. V. D.

De

De Præfectis Synodalibus.
CAP. XXXVI.

PRefectorũ Synodalium munus est,vt diligẽter animaduertant, an aliqua in Vrbe, ac Diœcesi sint, quæ correctione, & reformatione indigeant. Cum enim Episcopus omnia per se inspicere non valeat, ex Conc. Lateranensi institutum fuit, vt aliquot in Synodo Diœcesana, ętate, ac moribus graues viri eligerentur, qui iure iurando sponderent, de omnibus Ordinarios loci certiores se facturos, quę contra Synodales constitutiones fieri audiuerint, aut nouerint. Sedulò igitur Præfecti Synodales nostri partes suas exequantur, & omnia, quę emendatione digna inuenerint, ad Nos deferant, vt eorum merito Ecclesiastica disciplina in grege nostro màgis, ac màgis conseruetur.

Sub. Innoc. III. c. Epis. 35. q. 6.

Præfecti Synod. RR. DD

Iacobus Perantonius Rector S. Gregorij
Franciscus Maria Rentius Rector S. Petri ad Vincula.
Item omnes Vicarij Foranei cuiuslibet loci

Diœce-

Diœcesis nostræ, videlicet

Archipresb. Angelus Gentilonus	Cinguli
Iacobus Cerasa	M. philoptrani
Vrbanus Consaluus	Montis sani
Andreas Todinus	Appiniani
Antonius Angelus Cerasa	Staphyli
Matthia Baroncianus	Offanę

De S. Cõc. Trid. obseruantia CAP XXXVII

Pius IV. const. 80. Bull. t. 2.

QVæ in sacra, & œcumenica Trid. Synodo Sancti Patres nostri Diuino afflante Spiritu saluberrimè statuerunt, ad disciplinam Ecclesiasticam vel restaurandam, vel conseruandam, eadem ab omnibus inuiolabilitèr seruari mandamus, sub pœnis, in eodem Concilio decretis, vel vbi certa pœna contra inobedientes apposita non est, nostro, vel Vicarij generalis nostri arbitrio inferendis.

De

De Constitutionibus Synodalibus.

CAP. XXXVIII.

Animarum saluti paterna charitate intẽti, maxime Nobis est inuigilandum, nedùm prodesse cupimus, peccati laqueos multiplicemus, quibus fideles, curæ nostrę demandati, magis irretiantur. Declaramus itaque eos, qui contra Constitutiones superiùs editas peccauerint, pœnis tantùm, in eisdem appositis, non tamèn lethali culpæ obnoxios fore, illis solummodò exceptis, in quibus addita est pœna excommunicationis, vel quæ de Iure, aut natura sua sunt peccata mortalia: & nisi eas ex contemptu violauerint, vel peccati consuetudine irritas fecerint. Conc.Tolet.11.c.2

§. 1. Omnes verò pœnas, & censuras, quas Nobis reseruauimus, Vicario quoque nostro generali reseruatas esse, volumus, & declaramus.

§. 2. Cum autèm hę nostræ Constitutiones potissimùm inhæreant statutis, & decretis, quæ à sapientissimo Prædecessorum nostrorũ consilio, ac singulari pietate ortũ duxere; has dumtàxat omnibus imposterùm seruanda mandamus.

§. 3.

§. 3. Demùm statuimus, ac præcipimus, vt eadem Synodalia Decreta à die hodiernæ publicationis post tres menses vim legis habere incipiant: ità vt qui aduersus eas deliquerit, pœnis in eis appositis statim subijciatur, declarantes, quòd vbi in ipsis non est apposita certa pœna, intelligatur adesse pœna ad arbitrium nostrum.

Omnia autem, & singula in hac nostra Diœcesana Synodo Statuta, & Decreta, qua maiori debemus submissione, reuerentia, & obedientia Sãctæ Matris Romanæ Ecclesiæ auctoritati, ac iudicio emendãda, & corrigenda subijcimus.

Die prima Iunij 1661.

LEctæ, & promulgatę fuerunt suprascriptæ Constitutiones per me Secretarium infrascriptum in publico Auximanæ Synodi conuentu in prima, & vltima Sessione, & ab omnibus per verbum placet approbatæ, prout de his omnibus Synodalibus actionibus, & electionibus instante Adm. Reu. D. Canonico Antiocho Honuphrio Promotore Synodali publicum cõfectum fuit documentum à D. Ioanne Hilario Curię Episcopalis Cancellario, ac Synodi Notario. In quorum fidem. &c.

Ambrosius Lancellottus Sec. Synod.

In-

Indictio futuræ Synodi.

ADspirante Dei gratia, Synodum Diœcesanam, iuxta S. Conc. decretum, anno sequenti die 17. Maij in hac nostra Cathedrali Ecclesia celebraturi sumus prout literis nostris alio tempore denunciabitur. Pijs igitur vestris precibus instante, vt Ciuitas, & Diœcesis nostra Auximana salutaribus Christianæ vitę disciplinis, & virtutibus quotidie augeatur. Sess. 14. c. 2. de Ref.

Acclamationes factæ à Clero Auximano in fine Synodi.

Archid. DEo Opt. Max. Abyssali charismatum omnium fonti superefluens gratiarum actio.

Cler. Qui Synodalibus reformationibus misericordiæ suę latices copiosus effudit: ipsi gloria in sęcula.

Archid. Beatissimo Domino Papę nostro Alexandro, cælesti lumine in summis montium ad totius Orbis illuminationem posito, fælix, longęuaque lucis vsura.

Cler. Vt his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, æternę vitæ per ipsũ Candor effulgeat.

Archid. Eminentissimo Cardinali Epiſc. nostro, qui filios suos prouocat ad volandum, propositis super eos volitans documentis, multorum, velut Aqilæ, fęlicitas renouetur annorum.

Cler. Vt nos corã Te Iustitiæ Sole, in quem desiderant Angeli prospicere, natos non degeneres probet.

Archid. Imperatori, Regibus, & Christianis Principibus Catholicę zelus fidei, indissolubile coniuncti fęderis vinculum, & de venientibus, vt turbo, ad dispergendum nos gloriosa, & immortalis victoria.

Cler. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, vt sciant gentes, quæ te non nouerunt, quia tua est potentia, tuum regnum Domine.

Archid. Ciuitati, & Diœcesi Auximanæ pax Christi vera, salubris Cæli clæmentia, omnium redundans abundantia bonorum.

Cler. Vt cumulatis gratiarum muneribus vterque tibi populus deseruiat in ęternum. Archid.

Archid. Salutaria, quæ iàm compleuimus Domine, te adiuuante, comitia, à Templo tuo, quod est in Ierusalem, cælesti benedictione prosequere, & corda nostra, mandatis tuis dedita in sancta illorum obseruantia confirma, Intercedentibus semper pro nobis alma tui Genitrice Maria, cum Beata Thecla, & omnibus Sanctis.

Cler. Amen, Amen. Fiat Fiat.

Concordant omnia cum Originali meo, & in fidem me subscripsi.

Ego Ambrosius lancellottus Sec. Synod.

DECRETO DEL SACRO CONCILIO DI TRENTO

ſopra li Matrimonij clandeſtini alla ſeſs. 14. cap. primo de Ref. tradotto in volgare per commodità de Parochi.

BEenche non è da dubitare, che li Matrimonij clandeſtini, fatti col liberoconſenſo delli Cõtrahenti, ſiano ſtabili, e veri Matrimonij, finche la Chieſa non gli hà annullati, e perciò ragioneuolmẽte s'habbino da dannare, come in effetto il Sacro Concilio ſcommunica quelli, che negano queſti non eſſer ſtabili, e veri Matrimonij, e che falſamente dicono, che li Matrimonij fatti da figliuoli di famiglia ſenza il conſenſo de Genitori, non vagliano, e che li medeſimi Padri poſſano farli validi, & inualidi. Tutta via la Santa Chieſa di Dio per giuſtiſſime cagioni li hà ſempre aborriti, e probibiti: Ma conoſcendo il Santo Sinodo, che per la diſubidienza degli huomini ſimili prohibitioni homai non giouano, e conſiderando li graui peccati,

peccati, che da medesimi Matrimonij clandestini deriuano, massime di coloro, che viuono in continuo stato di dannatione, mentre abbandonata la prima moglie, colla quale di nascosto, e clandestinamente haueuano contratto il Matrimonio, palesemente ne pigliano vn' altra, e con quella viuono in perpetuo adulterio. Al qual disordine la Santa Chiesa, che non giudica delle cose occulte, non potendo prouedere, senza adoperare qualche efficace rimedio. Però seguendo le vestigia del Sacro Concilio Lateranense, celebrato sotto Innocentio Terzo comanda, che per l'annenire per tre giorni di Festa continui, auanti che alcuno Matrimonio si contragga, dal proprio Parocho, publicamente tra la solennità della Messa tre volte si denontij, fra chi s'habbia da cõtraere il Matrimonio, le quali denontie fatte, se non gli vien proposto qualche legitimo impedimento, si venga alla celebratione dell'istesso Matrimonio in faccia della Chiesa, doue il Parocho, interrogati l'Huomo, e la Donna, e conosciuto il loro vicendeuole consenso, ò vero dica: Ego coniungo vos in Matrimoniũ in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti *ò vsi altre parole, secondo il costume, e rito approuato di ciaschedune Prouincia.*

Che se taluolta si sospettarà probabilmente, che per malitia d'alcuno si possa impedire il Matrimonio, se si fanno tante denontie, in tal caso ò se ne facci vna sola, ò almeno con la presenza del Parocho, e di due, ò tre testi-

testimonij si celebri il Matrimonio. Di poi prima che si venga alla consummatione di esso, si facciano in Chiesa le denontie, acciò se vi fossero alcuni impedimenti, più facilmente si scuoprano: Se però l'Ordinario nō giudicherà, esser bene, che si tralascino tali denontie, il che rimette il Sacro Sinodo alla prudenza di quello.

Chi tenterà di contraher Matrimonio, altrimente che con la presenza del Parocho, ò d'altro Sacerdote con licenza dell'istesso Parocho, ò dell'Ordinario, e di due, ò tre testimonij, il Sacro Concilio lo rende del tutto inhabile à simil contratto, e determina, che li medesimi cantratti sijno inualidi, e nulli, come per il presente Decreto gl'inualida, ed annulla.

In oltre comanda, che ad arbitrio dell'Ordinario sia punito grauamente quel Parocho, ò altro Sacerdote, che interuerrà à simil contratto cō manco di due testimonij, e li Testimonij, che v'assisteranno senza il Parocho, ò altro Sacerdote, come di sopra, e similmente gli stessi contrahenti sijno gastigati ad arbitrio del Vescouo.

Di più il medesimo Santo Concilio essorta ancora li Sposi, à non habitare insieme nella medesima Casa prima della benedittione Sacerdotale, che s'hà da riceuere in Chiesa dal proprio Parocho, ne possa darsi tal benedittione da altro Sacerdote, senza la facoltà, concessagli dall'istesso Parocho, ò verò dall'Ordinario, non ostante qualunque priuilegio, ò consuetudine immemorabile, quale più tosto si deue chiamare abuso.

Che

Che se alcun Parocho, ò altro Sacerdote Regolare, ò Secolare, ancorche pretendesse di poter far ciò per priuilegio, ò consuetudine immemorabile, ardirà di sposare, ò benedire li sposi dell' altrui Parochia, senza licenza del proprio Parocho, sia ipso iure sospeso sino à tanto, che sia assoluto dall'Ordinario di quel Parocho, che doueua interuenire al Matrimonio, ò benedire li Sposi.

Comanda ancora il Sacro Concilio, che ogni Parocho habbia vn libro, doue noti li nomi delli Sposi, e de Testimonij, che sono interuenuti al contratto del Matrimonio, insieme col giorno, e luogo, doue si celebrò l'istesso Matrimonio, e lo conserui appresso di se con gran cura.

Vltimamente essorta il Sacro Concilio li Sposi, à confessarsi diligentemente tre giorni prima, che contraggano insieme, ò almeno auanti che consummino il matrimonio, & à pigliare diuotamente la Santissima Eucaristia. E se alcune Prouincie haueranno, oltre le predette, altre laudabili vsanze, e ceremonie, esso Santo Synodo grandemente desidera, che quelle in ogni modo si tengano, e s'osseruino senza alteratione alcuna.

Et acciò che questi precetti, tanto salutari siano manifesti à tutti, comanda, à gli Ordinarij, che quanto prima potranno, habbino cura di far publicare il presente Decreto al popolo, e che sia spiegato, e dichiarato in tutte le Chiese Parochiali della loro Diocesi spesse volte, quante giudicheranno esser espediente.

IN-

INDEX

ER-

ERRATA fic corrige.

Prior numerus denotat paginam, fecundus verficulum.

eaufa	caufa	4.	1.
oeftru	oeftro	11.	3.
ad iftar	ad inftar	14.	3.
annuciatur	annunciatur	18.	12.
transfere	transferre	25.	18.
penecillo	penicillo		25.
popolus	populus	28.	6.
folutis	falutis	29.	5.
cętris	cęteris	30.	2.
fereatur	feruetur	39.	21.
fponderunt	fpoponderunt.	40.	21.
Pifcis	Pixis	45.	20.
Pifcide	Pixide	46.	8.
finas	finus	47.	14.
chedulę	fchedulę	48.	23.
diferere	deferere	57.	7.
dignitatus	dignatus	58.	11.
difciplinę	difciplinis	69.	20.
excommunicantus	excommunicatus	72.	19.
Chifti	Chrifti	74.	19.
Et die	Eo die	76.	24.
itualis	Ritualis	79.	vlt.
illorum anima	animę falus	89.	18.
exaudiri	exaudiri	98.	1.
Cathedralis	Cathedrali		4.

&

ERRATA	ſic corrige.		
& aliorumque	& aliorum		
lauendę	luendę	102.	1.
omes	omnes	103.	3.
perſoluant	perſoluat.	104.	4.
arboris	roboris	105.	24.
Paſctores	Paſtores	111.	23.
abnoxij	obnoxij	116.	17.
exempla	exemplo	117.	6.
traſmittat	tranſmittat	124.	3.
Clerici	Cleri		7.
obenta	obtenta	126.	14.
omninum	omnium	128.	4.
iuſta	iuxta	129.	22.
tumulatur	tumuletur	132.	6.
Defuntorum	Defunctorum	134.	1.
admitatur	admittatur	136,	4.
exequatur	exequantur	145.	19.
exequęantur	exequantur	147.	23.
impeditur	impenditur	148.	3.
dicctum	dictum	149.	23.
fame	famę	150.	13.
Gregijs	Gregis		
atiam	etiam		17.
horreris	horreis	152.	14.
Meminerit	Meminerint	156.	3.
Diaiutus	Ditaiutus	164.	7.

MACERATÆ, Ex Thipographia Hæredum Auguſtini Griſei, & Ioſephi Piccini Impreſsorum Epiſcopalium. MD.CLXI. DD. Superiorum Permiſsu.